

Ann. IV.

Num. IX.

# VOX URBIS

## DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PROFIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;  
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.  
Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

### Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS  
AMERICAE SEPTENTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sedis Apost. et S. Rituum Congr. Typogr.

NEW YORK CINCINNATI

52, Barclay Street. 436, Main Street.

RATISBONAE IN BAVARIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sedis Apost. et S. Rituum Congr. Typogr.

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

### RERUM INDEX

POETICI CERTAMINIS VICTOR ARGENTEUS DECORATUS	...	...
KALENDIS MAIIS MCMI	....	....
DE LATINA LINGUA IN POPULARIBUS ATHENAEIS	....	....
DE SINENSUM MILESIIS FABULIS	....	....
"TYPOGRAPHIA", AC "TELEGRAPHUS", APUD ANTIQUOS	....	....
DE TERTULLIANO RHETORE	....	....
CRUCIS HISTORIA	....	(ex ineditis)
ARABUM MORES	....	....
LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE	....	....
QUORUNDAM ANIMALIUM VIAE, PUGNAE, INSTINCTUS	....	....
EX AMERICIS - De praeside Mac Kinley suo muneri initiatio	....	....
ANNALES	....	....
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	....	....
LIBRORUM RECENTIO	....	....
AENIGMATA	....	....

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM	....	....
VARIA: Paschalis currus et Columba Paschatis, Florentiae - Cornix et	....	....
bellum - Infernane dicenda urbs erit?... - loci	....	....

Fr. X. Reuss.

I. Toniolo.

H. D. V. Pieralice.

A. Costaggini.

R. Pancaro.

I. Marra.

M. Armellini.

A. Vieillot.

P. Angelini.

M. Lani.

H. Doswald.

Poplicola.

Scriba.

I. F.

I. Battanius.

Viator.

P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCCCI

# COMMENTARI "VOX URBIS", INDICES SINGULI

## XXIV num. ann. III.

De duplice litterarum certamine a commentario *Vox Urbis* indicito - *Vox Urbis*.  
 Latinae Americae Madritensis coetus - P. ROSSANI.  
 De septem versionibus latinis « Cassandrae » Schillerianae (Symbolum ad historiam poesos neolatinæ) - F. PALATA.  
 Fridericus Maximilianus Müller - A. COSTAGGINI.  
 In nocte Christi Natali puerorum lusus vernacula voce « Il ceppo » - M. RICCI.  
 De anno quo natus est Christus - P. A. M. ROVITTI.  
 De Bethlehem urbe ac de « Crypta Nativitatis » - A. CRIVELLI.  
 Cuinam Urbis incendium tribuendum quod Nero-nianum dicitur - G. P. - C. PASCAL.  
 Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
 Pro elephantibus - A. L.  
 Annales - POPLICOLA.  
 Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
 Librorum recensio - A. B.  
 Aenigmata - A. MORCHIO.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
 Varia: *Arbores celeberrimae - Exquis libris bibliotheca ingens - Ioci - P. d. V. - I. BATTANII.*  
 Epistolarum commercium - A SECRETIS.

## I num. ann. IV.

Kalendas Januarii MCM - Sociis, lectoribus Commentarii nostri humanissimis - *Vox Urbis*.  
 Novo ineunte saeculo - I. TONILO.  
 De Ausonio poeta - I. LEMETTE.  
 Iesu Christo Servatori Deo - A CERASOLI.  
 Circa musicam animalia quid sentiant - P. ALEXIS.  
 Romuli et Remi pueritia - LAELIUS.  
 De fama et longaevitatem - M. LANI.  
 Pallas armipotens quam Botticellius retulit - FORFEX.  
 Cuinam Urbis incendium tribuendum quod Nero-nianum dicitur - G. P. - G. PASCAL.  
 Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
 Ex Americis - De ingenti rota « Ferris Wheel » nuncupata - H. DOSWALD.  
 Communia vitae - Vinea, vindemiae, et quae propter - H. D. V. PIERALICE.  
 Canum novissimum officia - R. SPINA.  
 Annales - POPLICOLA.  
 Librorum recensio - A. B.  
 Aenigmata - DIGAMMA.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
 Varia: *Rex florum - Turris ex cornibus - Aurum non aurum - Ioci - P. d. V.*

## II num. ann. IV.

De Gallorum reipublicae discriminé - P. ROSSANI.  
 Annus MCM - P. R.  
 De S. Isidori Pelusiota epistulis - N. CAPO.  
 Suffragia apud maiores ad gerendam rem publicam - SENIOR.  
 Montium Pistoriensium laudes - M. RICCI.  
 De Pistorio urbe clarissima - A. BARTOLI.  
 Reliquiae « S. Mariae Antiquae » in Foro repertae - ROMANUS.  
 Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
 Cuinam Urbis incendium tribuendum quod Nero-nianum dicitur - C. PASCAL.  
 Ex Americis - De Americano gratiarum die - H. DOSWALD.  
 Quæstiones inter socios propositae - De anno quo Christus natus est - M. DOS.  
 Titulus Kassala apud Dervicos in honorem italorum militum nuperime positus - F. RAMORINO.  
 Annales - POPLICOLA.  
 Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
 Nicolai Machiavelli sententiae de legibus - C. DEHO.  
 Aenigmata - F. PALATA.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
 Varia: *Priusquam incipias, consulto - Sinensium deliciae - Ioci - P. d. V.*

## III num. ann. IV.

XIX saeculi civiles eventus - P. R.  
 De communi omnibus eloquio constituendo - SENIOR.  
 Ex Gallia - Latinae humanitatis triumphus - L. P. MICROVIR.  
 Dominicus Cimarrona - I. ANTONELLI.  
 Cosacorum exercitationes et ludi - A. COSTAGGINI.  
 An. Christ. M DCCC pridie kalendas Ianuarias a Iesu Christo ineuntis saeculi auspicio - LEO PP. XIII.  
 Horae subsecivæ - Sub icona S. Caeciliae a Raphaeli Urbinate depicta - De Sensu decori - I. BATTANII.  
 Romanii Fori monumenta novissime reperta - FORFEX.  
 Cuinam Urbis incendium tribuendum quod Nero-nianum dicitur - G. P.  
 Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
 Mirabilia caeli - P. A. M. ROVITTI.  
 Annales - POPLICOLA.  
 Victoria Regina, Imperatrix - P. ROSSANI.  
 Iosephus Verdi - *Vox Urbis*.  
 Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
 Librorum recensio - I. A.  
 Aenigmata - F. PALATA.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
 Varia: *Litterarum opus immane - Ubi primum locatii currus omnibus pervi? - Ioci - P. d. V.*  
 Sociis monitum - A SECRETIS.

## IV num. ann. IV.

Iosephus Verdi - I. ANTONELLI.  
 De communi omnibus gentibus eloquio constituendo - N. CAPO.  
 De prima Christianorum persecutione deque epistula quadam Pseudosenece inuria neglecta - F. RAMORINO.  
 Anglorum monumenta - LAELIUS.  
 Pro Brutis - R. PANCARO.  
 Novae Summi Pontificis litteræ de « Quæstione sociali » - FORFEX.  
 Chronologia Christi Domini - P. A. M. ROVITTI.  
 Horae subsecivæ - In pueruli mortem matris lamentatio - A. GALIERO.  
 Communia vitae - Per aequam glaciem abeundi ratio - H. D. V. PIERALICE.  
 Annales - POPLICOLA.  
 Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
 Librorum recensio - H. P.  
 Aenigmata - DIGAMMA.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
 Varia: *Recensiones singulares - Nosocomium novi generis constitutum - Ioci - P. d. V.*  
 Sociis monitum - A SECRETIS.

## V num. ann. IV.

De litterarum certamine a commentario *Vox Urbis* indicito iudicium sententiae:  
 I. - F. RAMORINO.  
 II. - P. ANGELINI.  
 III. - A. CIMA.  
 Poetarum mixta aerumnis gaudia - FR. X. REUSS.  
 De « Christiana democratis » - P. ROSSANI.  
 Senatus et popularum oratorum aedes Vindobonae - FORFEX.  
 Ex Germania - De populari quadam Germanica Societate - P. ALT.  
 Lymppha in variolias pueri ingesta - LAELIUS.  
 Böklin pictor - G. P.  
 Quæstiones inter socios propositae - De una eadem que apud omnes pronuntiatione latina - A. SORDET.  
 De statuta hominis - M. LANI.  
 Communia vitae - Per aequam glaciem abeundi ratio - H. D. V. PIERALICE.  
 Annales - POPLICOLA.  
 Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
 Aenigmata - I. CASTELLI.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
 Varia: *De Sinensi « Encyclopedia » - Nullane in posterum aquarum victoria? - Ioci - P. d. V.*

## VI num. ann. IV.

Leoni XIII P. M. - A. CERASOLI.  
 Ex Europæorum foedere publica futura commoda - P. ROSSANI.  
 Crucis historia - (ex ineditis) M. ARMELLINI.  
 De popularibus athenæis - I. ANTONELLI.  
 Circa musicam animalia quid sentiant - P. ALEXIS.  
 Novus e Societate Iesu commenticiarum fabularum auctor - SENIOR.  
 Ex Americis - De cataractarum Niagarensium hieme - H. DOSWALD.  
 De sapientum inventis nonnulla - M. LANI.  
 Communia vitae - Per aequam glaciem abeundi ratio - H. D. V. PIERALICE.  
 Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
 Horae subsecivæ:  
 Monti Regali vale dicens - I. SOLA.  
 Ad Sanctam Ritam a Cassia vulnus Spinae D. N. I. C. in media fronte referentem - I. ROTATI.  
 De Petro et uxore eius - I. BATTANII.  
 Vita functi viri clariores - I. F.  
 Annales - POPLICOLA.  
 Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
 Librorum recensio - P. A. - H. P.  
 Aenigmata - F. PALATA.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
 Varia: *Utilisne terraemotus? - Quid colligatur in perscrutatione digitorum - Nasus Cyclope dignus - Discipulorum respublica - Quae apud Iaponenses - Ioci - P. d. V.*

## VII num. ann. IV.

De opificum desertionibus - P. ROSSANI.  
 De saeculo XIX iudicium - SENIOR.  
 Litteratorum hominum aerumnæ et gaudia - A. BARTOLI.  
 Crucis historia - (ex ineditis) M. ARMELLINI.  
 Biblicæ antiquitatis vestigationes novissimæ - G. P.  
 Christus homo a triumpho ad sepulcrum - LAELIUS.  
 De librorum commercio apud Romanos - D. TAMILIA.  
 Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
 Ex Rumenia - B. ATHANASIUS.  
 Communia vitae - De Paschalibus dapibus - H. DE VECCHI-PIERALICE.  
 Annales - POPLICOLA.  
 Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
 Librorum recensio - I. F.  
 Aenigmata - I. BATTANII.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
 Varia: *Automobile anfibium - Novum ignis lucisque genus - Num in luce vita? - Arcana lacuum conubia - Ioci - P. d. V.*

## VIII num. ann. IV.

De graecis litteris tuendis in scholis secundi ordinis - N. CAPO.  
 De « Legenda Trium Sociorum » - F. RAMORINO.  
 Crucis historia - (ex ineditis) M. ARMELLINI.  
 De Sibyllis - G. P.  
 Insanientis sapientiae placita - A. CERASOLI.  
 Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
 Ex Batavia - De certamine poetico Hoeufftiano - G. B. SPRUYT.  
 Communia vitae - De Paschalibus dapibus - H. DE VECCHI PIERALICE.  
 Ex Americis - De rebus c'vilibus varia - H. DOSWALD.  
 Annales - POPLICOLA.  
 Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
 Nicolai Machiavelli sententiae de regni administris - C. DEHO.  
 Librorum recensio - P. A.  
 Aenigmata - H. GUEPIN.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
 Varia: *Divinatio per chartas lusorias - A quo Americe nomen? - Quid de humano genere XXI saeculo? - Tribus diebus Atlanticus praetermissum - Ioci - P. d. V.*

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:  
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italianum:  
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

## POETICI CERTAMINIS VICTOR ARGENTEO NUMISMATE DECORATUS

**Q**UARTO idus Apriles Francisco Xaverio Reuss, poetici certaminis victori, in Urbe commoranti, argenteum numisma de industria cusum tradidimus, quod ipsi iudices decreverunt. Qui quidem receptionis simul et suae humanitatis testimonium nobis dedit politis versibus, qui sequuntur.

*Vox Urbis.**Argenteum nomisma**Nuper mihi remitti**Vox Urbis imperavit;**Vox Urbis, et latinae**Poësis, et soluti**Sermonis aequa faatrix;**Quod carmen exarasse;**Censoribus benignis**Haud displicere visum.**Paschalis ut refusit**Lux festa, Vocis en me**Curator ipse, gratans,**Salutat et, repostum**In elegante theca,**Nomisma grande defert,**Micantioris instar**Astri nitere doctum.**Simul rogabat, aptas**(Quales reposcat usus)**Describerem recepto**De praemio tabellas.**Nec visa res iniqua;**Saturnios proinde**Cudens repente versus,**Hoc edidi diploma**Tabellione dignum,**Argenteum nomisma**Quo rite mi fuisse**A Vocis administro**Datumque traditumque**Sciens volensque testor.**Ex Urbe, lux Apriles**Dum quarta clamat idus.*

FRANC. X. REUSS.



## KALENDIS MAIIS MCMI

**C**ATHOLICORUM agmina, quae hinc maturae iam aetatis prudentia, inde fervido iuventutis studio in humiliorum bonum procurandum contendebant, discordia veteri sublata, summotis dubiis, Pontificis Summi verba mox conciliarunt, ut iunctis viribus pergerent. Quo factum est, ut litterae « Graves de communis re » decem post

annos a litteris « Rerum novarum » datae Christianae socialis disciplinae progressum veluti coronarent signoque supremae auctoritatis provectius studia sancirent.

Atqui novi documenti consilia potissima tria mihi videntur, quorum quum praevalida intima vis, tum opportunitas maxima.

Declaratis enim dubiis sublatisque falsis aut absonis iudiciis, nomine et re tamen *Christianam democratiam* primo litterae probant. Liberalis, quam dicunt, schola ad occasum iam ineluctabili fato vertens, et socialistarum novae doctrinae pariter a Pontifice reiciuntur, atque ad rem revocantur tum litterae « Rerum novarum » quae dominorum opificum iura definiunt, tum litterae « Quod apostolici munera », quibus recentiorum factionum errores sunt profligati. Nova autem consilia novaque opera, quae delabente xix saeculo, tanto labore et studio ubique gentium catholici contulerunt in humiliorum levamen, firmantur omnino, utque ad maiora contendant vehemens hortatio est. Urgentibus autem necessitatibus, iis quae temporalia spectant, atque operariorum terrestres condiciones respiciunt in dies providendum: laborum contractus instaurandi, sodalitia opificum ineunda, leges de labore manuum ferendae; nec tamen negligenda, immo preferenda, quae morum instaurationem attingunt. Huiusmodi sunt quidem singulorum civium libertas, familiarium iurum redintegratio, iustitia aequa lance diribenda, sancta moribus et religione institutio.

Quibus documentis luce clarius emicuit nil longius abesse aut absuisse ab Ecclesiae consilio, quam quod iniici hactenus calumniabantur, neque eam esse Ecclesiam Dei, quae sese tamquam cohortem statutam putaret ad ditiorum pervicaciam tuendam contra humilium tenuitatem. Mater enim Ecclesia materna viscera experitur filiisque suis omnibus, qui dolore excruciantur, materna brachia pandit, summaque ei mens, ut reipublicae ordines ex adverso pugnantes conciliet vicissim atque componat amice.

Spectat vero alterum Encyclicalum litterarum monitum, ut recentiora haec innovandae societatis consilia finem suum assequantur. Multiplices hac de re proponuntur cautiones, quibus et nimius ardor compescatur et opposita obstacula melius exsuperentur.

Tertium denique est Pontificis monitum, idque potissimum, ut catholicorum studia et la-

bores ex meditatione atque ex disciplinis, quas hactenus coluerunt, ad operam cito descendant: non enim in dialectica, ut ait sanctus Ambrosius, complacuit Deo salvum facere populum suum. Instaurationi scilicet, quam viri insignes Veillot, Lacordaire, Vogüé, Kidd, Stein, Gladstone ipse iam auspicati sunt, unumquemque nostrum suas conferre mentis corporisque vires Ecclesia iubet; ita ut popularis christiana actio mox contentionum aemulationumve causa ordinis novi novaeque aetatis signum veluti auguriumque illucescat. Quo quidem Ecclesiae verbo, quod perenni divino afflatu suadente, suscitat atque vivificat, futuri parantur dies, moxque novi humanitatis historiaeque fasti ipso docente exscribentur. Senex Pontifex meridianam splendidam horam haud forte videbit; at eius nomen memores recolent medio in triumpho nepotes, quippe cuius novis hisce auspiciis viresimum saeculum enatum est sacrum Christo Redemptori, quem iam laudaverat Paulus principem futuri saeculi.

Quae prorsus recolens Summi Pastoris monita optimum me credo fecisse quod kalendas Maias, in laboris opificum ferias evectas, invitabitibus huius commentarii moderatoribus, commemo rarem.

JOSEPHUS TONILO.

## DE LATINA LINGUA IN POPULARIBUS ATHENAEIS

**I**N commentario nostro dictum est et quid sint, et quo loco, et qua causa, et a quibus constituta nuper popularia athenaea, ut, si quis eruditri cupiat ex vulgo, praesto habeat ut erudiatur, idque gratis, et quavis in doctrina, et qualibet aetate desideret.

Narravimus etiam haec in Germania, haec in Gallia, haec in foederatis Americae civitatibus passim haberi, frequentiora in dies fieri, certis legibus contineri, et mirabili quadam consensu gentium ubique cooptari, neque inde aliquid veritatem sibi triste timere, immo spem concipere exitus optimi; reddit enim Baconis praeclera illa sententia, qua monemur exigua ac dimidiata scientia animos ad mendacia, plena atque integra ad veritatem rectitudinemque perduci.

Quod autem nobis et praedictarum et iucundissimum nuper accepimus, festinamus confiteri, ut illi erubescant qui adversus latinam linguam telum imbelle sine ictu contorquent in hoc ipso latinitatis fonte, in hac regione, quae tot tantasque gentes, tot saeculis, optimis disciplinis quibusvis, latino uso eloquo, ditavit. Hi namque profecto videbunt flores,

quos ipsi e nativo viridario excerpere et longe proiecere conantur, ab exteris nationibus, quae nunc maxime secundis rebus omnibus vigent, in propriis hortos insertos et cultos industria summa in quotidianum usum, utilitatem et ornamentum passim apud exteris nunc referri. Quod quidem nos ne Minerva nostra extenuare, aut quavis ex parte extollere credamur, eam fide magna reddimus verborum sententiarumque summam ab Hermanno Diels doctore, cuius operam ad usum latini sermonis vulgandum non semel memoravimus, Berolini pronuntiatam, cum, viii id. Nov. superioris anni, athenaei popularis aulae accedentibus datae sunt (1).

Qui quidem exordium ducens a conventu, quem sapientes viri Berolini habuerunt, ut vel infimus ex plebe quisque ardua scitu quaeque suscipret, inteligeret ac teneret, fassus est operae pretium illic fuisse recognitum in hoc, ut nonnullae constituerent expositiones latini sermonis, et exercitationes, quasi porticum disciplinarum omnium ineundarum, sive Pallas hasce, sive Musae tuerentur, quasi quid necessarium iis omnibus, quae spiritum attingant. Historiae enim – sic ille ferebat – humanae, tum divinae sapientiae libri, tum studium iuris et scientia omnis absque latini eloquii cognitione esse non possunt. Quibus carere quis voluerit, cum disciplinas ceteras vindicaverit, noscet aliquid deesse, et pleniore hausto non bibere in singulis.

Haec autem fuse Diels explicabat, exponens inter duo annorum millia (totidem enim fluxerunt anni a Tullianis temporibus ad aevum, quod medium dicitur, a xvi ac xvii saeculo ad nostrum recentius), disciplinas omnes hoc sermone semper vulgatas ac traditas. Quas vulgari suae sermone gentis quis docuisset, praesto et ad manus quotidie erat latinus liber, unde depromperat, et ad quem in dubiis, aut in gravioribus reditus erat.

Difficillimum hinc ipse Diels iudicabat ea tradere, nisi, qui auditor sit, vim, originem virtutemque latinae vocis optime calleat. Nec vero speret magister se intelligi, nec discipuli sperent se posse intelligere, nisi prius quid latinae virtutis in vocabulo sit probe isti intellexerint. Saepe accidit etiam ut, multis undique vocibus e propria lingua accessitis, puta Teutonica, Anglic, Gallica, dum aliquid prae-sertim iuris explanare tentamus, sexcenta congerantur verba, quibus coacervatis, nihilominus deest illud grave et solemne, quod eloquii latini proprium est, quodque saepe una tantum voce confert, quod sexcenta verba non comportarunt.

Tum denique addebat Diels sapientes viros in hanc sententiam et consilium de inducenda latina lingua in athenaei popularia devenisse, eo maxime quia pro eloquio hoc pugnet fere consensus quidam totius orbis terrarum; non enim – de cultis gentibus humanioribus nulla quaestio – est populus, tamque immanus, tamque ferus, penes quem catholicae religionis ministerio sermo iste non insonet. Atque ad Germanicam gentem et Gallicam et Anglicam veniens notabat in domestico publico que colloquio plures esse dicendi modos omnino latinos, plurima vocabula, quae a Iulii Caesaris tempore accepta, feliciter tot saeculis retenta sunt, ibique una cum cultu, et humanitate floruerunt. Denique iniquum esse, et quasi scelus, privare plebem tot nationibus, tot rebus, quae latinis inscriptionibus passim in monumentis publicis, privatisque, in templis,

(1) *Volkslatein. – Vorwort zu Dr. R. Helms Uebungsbuch für volkstümliche Vortragsskurse und Vortrag « Ueber die Bedeutung des Lateins für unser Volk und unsere Zeit » von Professor HERMANN DIELS, Sonderabdruck. – Lipsiae, ex off. Teubneriana, 1901.*

in museis, in coemeteriis historiam populi patriaeque regionis attingunt.

Hisce ergo de causis potissimum – minora argumenta studio brevitätis omittimus – ille doctor eximus non modo optimum fecisse sapientes ostendebat, qui latinae linguae studium in athenaei popularia retulerunt, sed quasi debitum quid, sed necessarium omnino.

Tum ad coronam, ne quis opponeret difficultem esse linguam, arduam scitu, ac paene imperviam, demonstrabat latinum eloquium ita esse aureum indole, facile dictu, suave sonans simulque maiestatis plenum et gratiae, iucundum auribus, ut magna sit in eo discendo facilitas, maxima in cognoscendo felicitas.

Quo quidem ut auditores potirentur, Helm germanico doctori talis est mos ac disciplina: Exercitatio illa, quam literae A notant, coram legitur, ac explanatur, et quicquid latinae constructionis in illa est – nam a verbo initium – aperitur. Inde interpretatione. Itaque a significatione propositionis in complexu digressus ad singulorum interpretationem verborum, nominum, formae, enucleate. Eadem factio circa verba, circa singulares appendicis normas, circa potissimas regulas « syntaxis ». Mox gradus per prospectus exercitationibus additos, quibus omnia coram efferebantur, nempe declinationes, conjugationes, adverbia, eorumque modos, origines. His, atque in hoc operae pretium, memoriae traditis, concitate omnia rursus ore, bis, terque et ultra ingeminari. Opus domi perficiendum est exercitatio, quae sub litera B.

Sequenti acroasi quōdquot in exercitatione A ore pronuntiata fuerant, restaurantur; mox per propositiones singulas ea omnia, quae in confienda domi exercitatione B edita fuerant eodem ritu, quo actum fuerat de A, instituuntur, et satis donec sit singulis factum; auditoribus, qui de re petant, explications dantur.

Ita porro taedium longe aberat, et in sequenti anno iam Caesaris IV *de Bello Gallico* liber in manibus, pluribus ex athenaeo, quod « Universitatem studiorum » vocant, discipulis magisterium peculiare suppeditantibus.

Iamque si Germanis ita bene, bene sit, et vertat. Apud nos vero qui sumus Itali, novus atque idem planus et felicior tradendi modus mihi videtur ac peculiaris, de quo in proximo agemus, sicui quae tentamus placuerint.

H. DE VECCHI-PIERALICE.

#### DE SINENSIO MILESIIS FABULIS

SINENSES an Milesias fabulas dicam? — Lepidum sane dubium, subtile, atque argutum; verum, quoniam latine dicendo Milesias fabulas appellare cogimur, quoniam nomine eas denotabimus cum Sinenses scripserint?

At est huiusmodi scribendi genus Sinensis? Shing-che, vir patriis in litteris peritissimus, in *Revue des Revues* commentario nuper respondit: est equidem, et quamvis scribendi arte cum Iaponiae sororis gentis scriptis, quae Galli Anglique scriptores exemplo expolierunt, nullinode aemuletur, proprias sibi laudes, easque non exigua neque levis momenti, ipsum quoque sibi vindicat.

Non defuerunt ferme Sinensis viri litterarum curiosi, qui eorum poemata aut sapientum opera investigaverint; fabellarum autem quas Milesii generis ad instar ediderunt nullus hactenus historicus exstitit.

Difficillimum quippe munus! Adeo enim illiusmodi libelli per imperium late immensum effusi sunt,

ut et colligere et digerere titulos perarduum cuique videatur: quinimmo, pleraque eorum moles ab obliuione, qua obruitur, revocare operae pretium non est. Sed in tanta multitudine, nonnulla adsunt scripta pulchra plane et studio digna, et quae nec lapponium, nec Indorum libris quidquam invideant.

Quatuor supra decem immortalis veluti afflatus opera Sinenses recensent: *Trium Regnorū historiam*; *Annales palustres*; *Occidentalia itinerā*; *Occidentalis cubiculi historiam*; *Barbiton historiam*; *Rubri cubiculi historiam*; *Officinae iocum*; *Proelia Chouensium civitatum*; *Flammiferi ciuitas frustuli inquisitionem*; *Malum pretiosae pulchritudinis*; *Sceptrum iaspidis*; *Ping-san atque Leng-Yen historiam*; *Daemonum exorcismum*; *Spirituū apotheosis historiam*.

Sinensium fabularum divisio triplex. Sunt enim fabulae historicae, fabulae religiosae aut mysticae, fabulae amatoriae. *Trium regnorū historia*, *Annales palustres*, *Proelia Chouensium civitatum* ad primum genus pertinent. Subiectum enim praebuerunt poetis Sinenses eventus; at fictionibus innumeris paginae scatent, quas uberrima agilisque scriptoris mens suo ex penu protulit. *Trium Regnorū historia* longe optimā huiusmodi librorum esse videtur, auctoremque eius Lo-Kuan-Chung maxima gloria donasse. Capita ad centumviginumerantur, quorum singula iam ipsa prolixitate deterrent. Res innumerā quibus narratio conseritur vel numerare longissimum sit! Fabulae personae amore aut odio furentes magnanimitate sceleribusque contendunt: insolita, impossibilia, absurdā exsurgunt passim. Hsia-Hou-Tun suum ipsius oculum deglutit; K'-ung Ming lyra, Yun gladium, Lu-Fu cuspis magica portenta operantur: equus quidam aequatoriales gradus quinque, una vix hora, cursu absumit, montes ut avis transilit volatu, flumina natu superat.

*Trium Regnorū historia* Sinensium quasi *Ilias* est. Lo-Kuan-Chung, veluti Walter Scott alter, historicā gestā suā mentis fictis fabulis miro ingenio coniungit.

*Daemonum exorcismus*, *Officinae iocus*, *Occidentale iter* alterum genus attinent, quorum ultimus liber pulcherimus. Imperatoris e Thang genere frater iter occidentem versus aggreditur, ut sacros libros recuperet. Obstacula occurunt immania, terrarumque orbis numina omnia in illum insurgunt. At viro di auxiliantur, eorumque praevalidus nubium rex.

Amoris fabulae amorem vix respiciunt omniaque potius quae in domesticis negotiis graviora continere possunt enarrant, aut effingunt fecundissima copia adeoque varia, ut rerum seriem apte persequi perarduum fiat. Prima dramatis persona iuvenis plerumque est, qui acri conatu studet ut in litteratorum ordinem adscribatur, puellamque tenuissimis distinctionis pedibus uxorem ducat.

Fabulae vero huiusmodi taedio incredibili lectores afficerent, nisi interposita parva legerentur poemata saepe suavissima. Inter tragicas commenticias fabulas celeberrima est in florilegio quodam illa, cui titulus *Kin-Kou-Ki-Kuan*. Iuvenis litteris deditus – fabula narrat – puellam in hortulo cum matronis deambulante furtim explorat, eamque e summo muro extollens caput salutat. Puella aufugit, sed ille prospicit ex muro in hortulum, mucinum invenit, diripit, deinde ad speculatorum reddit. Ancillae vero paulo post mucinum quaerenti fidelem sese illius custodem spondet, quoadusque dominae restitut. Nuptiae clandestino ritu celebrantur; at sponsi pater mox illum cogit, ut ditissimam ex asse haeredem uxorem ducat. Puella misere derelicta legatum infidelī viro mittit, qui rediens mucinum a iuvene

cuique  
ab obli-  
on est.  
scripta  
ponen-  
t.  
afflatus  
oriam;  
entalis  
i cubi-  
ensium  
ionem;  
spidis;  
n exor-  
t enim  
cae, fa-  
nniales  
um ge-  
poetis  
aginae  
ns suo  
longe  
emque  
Capita  
am ipsa  
arratio  
fabulae  
imitate  
dia, ab-  
in ipsius  
ladium,  
us qui-  
a, cursu  
ina na-  
asi *Ilias*  
ter, hi-  
ingenio  
cidentale  
us liber  
ater iter  
ros re-  
rumque  
At viro  
m rex.  
mniaque  
contin-  
ndissima  
persequi  
enis ple-  
ratorum  
is distin-  
lectores  
poemata  
as fabulas  
cui titulus  
- fabula  
is deam-  
mo muro  
ille pro-  
venit, di-  
llae vero  
sese illius  
restituat.  
onsi pater  
haeredem  
gatum in-  
a iuvene

ablatum restituit, quo illa, litteris sibi a iuvene de scriptis ad eius patrem remissis, sese nodo suffocat. Pater sanguine expiandum crimen censet, filiumque, iuxta legem pro infideli viro in ipsa secreti matrimonii pactione statutam, fustibus necari iubet.

Laetissimum id fabulae specimen, qua pariter incunditate cetera redolent! Ab uno itaque discimus; at si vis laetam ducere vitam, lege nullum.

A. COSTAGGINI.

### "TYPOGRAPHIA,, AC "TELEGRAPHUS,, APUD ANTIQUOS

M. LANI, cuius scripta, eaque probabilia, de sa-  
pientum inventis in commentario nostro ex  
intervallo legimus, recens de laudibus dixit non minus  
iis tribuendis qui scientiae viam cogitationibus suis  
indicarunt, quam iis qui eamdem constrarunt et cu-  
currerunt. Pulcre equidem, bene et recte, ita ut ipse  
facere non potuerim quin per *Vocem Urbis* sapien-  
tum praeconio nomina illorum commendarentur, qui  
« typographiam » ac « telegraphum », quamquam  
in *potentia*, primi tamen, quod sciam, protulerint.

Quod si Ciceronem alterum fuisse affirmaverim, fidem tribuatis?

Atqui in memoriam revocate quae summus ille  
Latinorum scriptor in libro II, cap. XXXVII *de na-  
tura Deorum* edidit: « Hic ego non mirer esse quem-  
quam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solidam  
atque individua vi et gravitate ferri, mundumque ef-  
fici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum cor-  
porum concusione fortuita? Hoc qui existimet fieri  
potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si in-  
numerabiles unius et viginti formae literarum vel  
aureae, vel quales libet, aliquo coniificantur, posse  
ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps  
legi possint, effici: quod nescio an ne in uno quidem  
versu possit tantum valere fortuna ».

Ex quo loco *mobiles characteres*, qui dicuntur, quorum inventor Guttenberghius Germanus vulgo traditur, a summo Arpinate conceptos antiquitus facile coniicitur.

Sed si hoc mirum, mirabilior etiam videtur « te-  
legraphi » inventio, nec solum *Morsiani*, sed re-  
cens inventi a *Marconio*, absque filis, cuius inventio-  
nis vestigia apud « humanistas » saeculi xv apparent,  
quamquam - proh miserum fatum! - scripto tantum  
commissa.

Operae pretium est integre hic transcribere quae  
eruuntur ex *Academia Famiani Stradae* (Prol. VI,  
acad. II).

Famianus igitur de poetis latinis xv saeculi dis-  
serens, quorum alii alios ex antiquis sibi imitandos  
proposuerunt, Petrum Bembum Lucretii more dis-  
serentem refert his versibus:

*Magnesi genus est lapidis mirabile, cui si  
Corpora ferri plura, stylusque admoveris; inde  
Non modo vim motumque trahent, quo semper ad Ursam,  
Quae lucet vicina polo se vertere tentent;*  
*Verum etiam mira inter se ratione modoque  
Quotquot eum lapidem tetigere stylis, simul omnes  
Conspirare situm motumque videbis in unum,*  
*Ut si forte ex his aliquis Romae moveatur,  
Alter ad hunc motum, quamvis sit dissitus longe  
Arcano se naturai foedere veritat.*

Ergo age, si quid scire voles, qui distat, amicum,  
Ad quem nulla accedere possit epistola; sume  
Planum orbem patulumque, notas elementaque prima  
Ordine, quo discunt pueri, describe per horas  
Extremas orbis: medioque repone iacentem,

*Qui tetigit magna, stylum; ut versatilis inde  
Litterulam quamcumque velis, contingere possit.  
Huius ad exemplum, simili fabricaveris orbem  
Margine descriptum, munitumque indice ferri,  
Ferri quod motum magnete accepit ab illo.  
Hunc orbem discussurus sibi portet amicus,  
Conveniatque prius, quo tempore, quevis diebus  
Exploret, stylus an trepidet, quidve indice signet.*

*His ita compositis, si clam cupis alloqui amicum,  
Quem procul a teta terrai distinet ora;  
Orbi adiunge manum, ferrum versatile tracta.  
Hic disposita vides elementa in margine toto:  
Quis opus est ad verba notis, buc dirige ferrum,  
Litterulasque, modo hanc, modo et illam cuspidem tange,  
Dum ferrum per eas iterumque iterumque rotando,  
Componas singillatim sensa omnia mentis.  
Mira fides: longe qui distat cernit amicus  
Nullius impulsu trepidare volubile ferrum,  
Nunc hic, nunc illuc discurrere: conscius haeret,  
Observatque styli ductum, sequiturque legendum  
Hinc atque hinc elementa, quibus in verba coactis  
Quid sit opus sentit, ferroque interprete discit.  
Quin etiam cum stare stylum videt, ipse vicissim  
Si quae respondenda putat simili ratione  
Litterulis variis tactis, rescribit amico.*

*O utinam haec ratio scribendi prodeat usu.  
Cautior, et citior properaret epistola, nullas  
Latronum verita insidias, fluviosque morantes.  
Ipse suis Princeps manibus sibi conficeret rem:  
Nos soboles scribarum emersi ex aequore nigro,  
Consecraremus calatum magnetis ad horas.*

Bembum itaque telegraphi auctorem praedice-  
mus?

Legitne Volta, legit Morsius, legit Marconius  
mirabiles versus?

Consentia Brutiorum. R. PANCARO.

### DE TERTULLIANO RHETORE

INTER omnes latinarum litterarum studiosos hoc  
primum iam satis constat, Quint. Sept. Flor. Ter-  
tullianum, praeclarissimum quidem praeter ceteros  
eiusdem generis scriptores, parum olim in deliciis  
eruditorum fuisse; quod sane nemini mirum videbi-  
tur, qui obiter tantum Africani scriptoris opera gu-  
staverit.

Haud enim dubitari potest quin Tertullianus, quem  
uno ore omnes consentiunt primum sermonem pro-  
prie christianum finxisse (1), nimis saepe obscurus  
et difficilis ad intellegendum sit, sive ob difficultorem  
struendi rationem, sive ob rariorem vocabulorum vel  
obsoletorum vel noye positionum usum, sive ob alia  
huius generis, quae omnia praesertim, neque mirum,  
iam pridem multos deterruisse videntur viros doctos,  
quo minus Tertulliani in studia incumberent.

Ad hanc autem, quam et veteres scriptores questi-  
sunt obscuritatem (2), accedit etiam ut Tertullianei  
libri innumeris mendis et corruptelis inquinati fue-  
rint, ne dicam sint; adeo ut non iniuria videatur Nor-  
denius, vir tam magnae existimationis, ominatus esse:  
*Wie für Appuleius, so gebrauchen wir für Tertullian  
dringend eine sprachliche und stilistische Analyse, fer-  
ner einen Kommentar in der Art, wie wir ihn von Sal-  
masius besitzen zu « De Pallio », der schwierigsten Schrift  
in lateinischer Sprache, die ich gelesen habe (3).*

(1) Cfr. sis HARNAK, *Sitzungsber. d. Berl. Akad.* 1895, 146.

(2) LACTANTIUS enim in *Div. Inst.* VI: « Tertullianus fuit  
omni genere literarum peritus, sed in eloquendo parum facilis  
et minus compitus et multum obscurus ». Item HIERONYMUS, *Ep. 49*  
ad Paul.: « Tertullianus creber est in sententiis sed obscurus in  
eloquendo ».

(3) Cfr. NORDEN, *Die antike Kunstsprache*, pag. 615.

Cum vero Tertulliani genus dicendi, quod singu-  
lare prorsus appellare non dubito, temporibus aevi,  
quod dicitur, mediis, omnes fere deterruerit eruditos  
quo minus in eo tractando desudarent, nostris contra  
temporibus nonnulli viri docti id accuratius descri-  
bere suscepunt, ita ut haud procul videatur abesse  
dies, in qua de vario tamque singulari sermone quid  
tandem sentiendum sit poterit dijudicari. Verum in  
praesens nondum videtur, mea quidem sententia, plane  
perfecteque esse exploratum quo scribendi genere  
Tertullianus usus sit (1); ac mihi facile, candide le-  
ctor, te assensurum confido quum nonnullas sum-  
pseris in manus commentationes, quae de hac re  
iam inde a temporibus Fr. Oehler, Tertulliani edi-  
toris procul dubio optime meriti, ad nostram usque  
aetatem conscriptae sunt, quasque, brevitas causa,  
memorare supersedeo. Ac mihi, prius quam propo-  
situm aggrediar opus, hoc unum confidendum, ex  
omnibus iis, qui aetate nostra in rerum Tertullia-  
nearum studiis sint versati, vix quemquam natione  
Italum exstitisse, aut ne vix quidem; atque utinam  
in tanta luce studiorum haec quoque apud nos exco-  
lantur studia fulgentiorque in dies ob oculos nostros  
Tertulliani imago splendeat.

Gratum in praesens, aut ego fallor, lectoribus  
faciam, si de sermone Tertulliano pauca deliba-  
vero, quae « pigmenta orationis » appellare Cicero  
solebat, quaeque ad dicendi genus ornandum atque  
illuminandum saepissime adhibebant tum Graeci tum  
Romani rhetores. Ac quidem quum nemo dubitet,  
quin Tertullianus singularia quaedam vocabula, lo-  
cationes, constructiones, grammaticum genus plane  
suum adhibuerit, et tritam a Latinis scriptoribus viam  
ita longius reliquerit, ut eius propria videatur for-  
mula illa: *μεταχάραττε τὸ νόμισμα*, qui contra, eius  
scripta obiter tantum cognoverit, hoc nimur fate-  
bitur, Tertullianum a rhetorum placitis praecepsisque  
haud alienum fuisse. Quod scilicet non mirum ei-  
erit qui se animo et cogitatione converterit cum ad  
tempora illa Frontonis, Apuleii, Minucii, Gellii, Cy-  
priani, Arnobii, tum maxime ad Tertulliani ipsius vi-  
tam, mores, ingenium, doctrinam. Ne nunc enim de  
ceteris loquar africanis scriptoribus, Tertullianus pro-  
fecto, ut qui meridianae regionis homo, fervido et  
paene luxurianti ingenio mirum in modum praeditus  
erat, atque ex hac, in primis, multa et varia mentis  
permotione illa videbatur efflorescere colorum copia,  
quam fere in omnibus eius operibus deprehendere  
licet. Neque vero qui diligenter eius scripta legere  
assueverit iudicabit eum, verborum luminibus sen-  
tentiarumque adhibitis, rerum pondus et gravitatem  
debilitasse; quin immo, aut nemo, aut, si quisquam,  
ille scilicet non in eorum habendus est scriptorum  
numero quos Quintilianus his castigarat verbis: « Sunt  
qui neglecto rerum pondere et viribus sententiarum,  
si vel inania verba in hos modos depravarunt, sum-  
mos se iudicent artifices, ideoque non desinant eas  
nectere, quas sine substantia sectari, tam est ridicu-  
lum quam querere habitum gestumque sine cor-  
pore... » (2). Tertullianus, contra, totidem verba, totidem adhi-  
buisse sententias dicendus est; neque mirum sane,  
si hoc animadverterimus, eum, primum omnium, via  
ac ratione ut Christianam religionem a superbis ad-  
versariorum calumniis malignisque suspicionibus de-

(1) Non me scilicet assentientem habebit MAXIMILIANUS KLUSSMANN, qui in opusculo cuius titulus: *Curarum Tertullia-  
nearum Particulae tres*, 1886, pag. 1, haec habet: « Quicumque...  
adhuc de ea re (scil. de latinitate Tertulliana) exposuerunt aut  
oleum aut operam perdidisse dicendi sunt ».

(2) *Inst. or. IX*, 3.


fensitaret summa animi permotione contendisse. Ac ceterum singulare eius ingenium mentisque acies ex eo quidem patere videntur, quod, cum ille id egerit, ut, rhetorum more, verba tornaret digereretque sententias, nunquam ipse rerum gravitatem fregit. Quidni? Imbutus ille atque perfusus indefesso plurimorum et optimorum sermonis latini auctorum studio, litteris saecularibus studiisque ethnici paene saturatus, omnia in suum usum insignia artis lenocinia convertit: theologus deinde, immensa praeditus doctrina, christiana universae disciplinae peritissimus (1), totum se confirmavit ad id, quod animo intenderat perficiendum; omnis denique divini humanique iuris consultissimus, arte dialectica, immo sophistica praecelluit.

Dicunt vero nonnulli Tertullianum, rhetoricae disciplinae tumore inflatum, contra urbanum sermonem grammaticum genus nonnumquam peccasse; quam rem sunt qui propriam Afrorum scriptorum fuisse contendant; atque sic hariolentur, veram, quae dicitur, Africitatem eos maxime attinere scriptores, qui contra tritam dicendi viam artemque grammaticam ideo peccaverint, ut verba voluptati aurum morigerantia et pleno sonitu exuentia exposcerent. Neque enim totum quidem sermonis genus et Apuleii et Frontonis et Arnobii tumidum et male artificiosum satietatem legentibus adferre quisquam negabit; verum, ut res se habet, non Tertulliano haec congruere videntur, cuius scribendi genus, quamvis multa habeat cum ceteris Afris concordantia, ab aequalium tamen et popularium scriptorum proprietate in multis abalienatum est.

Ceterum in memoriam revoca, lector, Tertulliani vehementem, quem diximus, immo fanaticum paene animi furorem, ac nonnulla intelliges, quae propria Tertulliane sermonis praecipuaque videntur. Etenim genus illud dicendi concitatum, pressum, nervosum, scriptoris animum, quadam contentione percitum, plane perfecteque exprimit atque effingit; addit etiam comprehensionem atque ambitum verborum, tum mutilum et quasi decurtatum, tum nimis longe proiectum; quae scilicet omnia nobis in memoriam locupletissimum illum rerum scriptorem Tacitum revocare videntur; nisi quod, cum vehementem, quem intus alit, fervorem Tacitus mira quadam animi aequitate plerumque coercent, Tertullianus, contra, immoderate omnia effundit, quaecumque ei contra ethnicos haereticosque indignatio suadet. Itaque praeter modum is saepe loquitur, tunc maxime quam, furore corruptus, ut adversariorum argumenta evertat in campum acerrime pugnaturus prodit; saepius autem nimiam quamdam brevitatem affectare videtur; quam ob rem ita obscurum ac difficilem ad intellegendum se praebet, ut in legendu dubius, immo indignabundus saepe haeres, lector, quo te vertas nescius. Nam obscurus plerumque non ideo existit, quod omnia incisim membratimque efferat, sed quia omnibus amissis ad bene scriptoris mentem perspiciemad necessariis particulis, ex altera, quasi legentis immemor, ad alteram rem audacissime transit, vix ut sententiarum concinnitas mente concipi possit. Hunc ceterum orationis *χαρακτήρα* Tertullianus ipse his verbis indicasse videtur: «Naturaliter compendium sermonis et gratum et necessarium est, quoniam sermo laciniosus et onerosus et vanus est» (*De Virg. vel. 4*).

Nunc autem nihil attinet de rhetorics interrogacionibus, exaggerationibus, personificationibus, quibus

(1) De *Apologetico* ita HIERONYMUS existimat: «Quid Tertulliano eruditus, quid acutius? *Apologeticus* eius et contra gentes libri cunctam saeculi obtinent disciplinam». *Ep. ad Magn. IV.*



“Capitolium” in urbe Washington (cfr. artic. *Ex Americis*).

referti sunt libri omnes Tertulliane, sermonem instituere; res enim ipsa, quae agebatur, huiusmodi lumina, quae dicuntur, orationis ferebat; potius vero operae pretium est perpaucia memorare de illa, quam Graeci *ἀντίστοι* appellant, figura, quamque, si quisquam, Tertullianus, quippe qui sophisticæ artis sane peritissimus, in deliciis habuisse videtur. Quin immo longius saepe progreditur, quam quod magister ille Quintilianus his praecepit verbis: «Contrapositum non uno fit modo; nam et singula singulis opponuntur... et bina binis... et sententiae sententiis...». Etenim verba huiusmodi contrarie relata in singulis deinceps verborum ambitibus nonnumquam adhibet Tertullianus, ut in libro *Ad Martyres*, cap. 2: «Habet (carcer) tenebras, sed lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos soluti Deo estis. Triste illic expirat, sed vos odor estis suavitatis. Index expectatur, sed vos estis de iudicibus ipsis iudicaturi». Paulo post: «Nihil interest, ubi sitis in saeculo, qui extra saeculum estis».

Et possum sexenta afferre, si velim.

Plerumque autem ea in re ita excedit, ut nihil sere aliud eum egisse existimes, nisi ut verba verbis quasi demensa et paria responderent, ut crebro convergent pugnantia, compararentur contraria; tum etiam ut pariter extrema terminarentur eumdemque referrent in cadendo sonum; ex quo plane efficitur eum saepe una coniunxit cum illis, de quibus supra, orationis sententiarumque formis, eas quoque, quas ὄμοιότελεται et ὄμοιώποται appellant Graeci. Pauca exempla nunc rem adumbratura confido:

«Quia virtus duritia extruitur, mollitia vero destruitur» (*Ad Martyr. 3*).

«Cur ad caelum contestatur et ad terram determinatur?» (*De test. an. 5*).

«Alterum Deum quem confiteri cogebatur de malo infamando destruxit, alterum quem commentari concitatatur de bono praeferendo construxit» (*Adv. Marc. I. 1*).

«Ad omnia tibi occurrit Deus idem percutiens sed et sanans, mortificans sed et vivificant, humilians sed et sublimans» (*Adv. Marc. II. 14*).

«Verbum mortis verbo vitae resistentes, auditum transgressionis auditu devotionis limantes» (*Scorp. 5*).

Hanc autem dicendi rationem Tertullianus tantopere deamat, ut vocabula quaedam (non vero inania), ne figura belle tornata periret, insolentissime saepe proculat. Haec tantum affero exempla:

«Quis ex illis deis vestris gravior et sapientior Catone, iustior et militior (!) Scipione?» (*Apol. 11*).

«Ubi minor iniuria ibi nulla necessitas impatiens; at ubi maior iniuria ibi necessario iniuria mea, patientia» (*De pat. 11*).

Cum interim plus nostra misericordia insumit *vacat*, quam vestra religio *templatim* (!)» (*Apol. 42*).

Itaque, candide lector, mecum statues, opinor, scriptorem plerumque audacissime, concinnitatis gratia, locutum esse.

Inveniuntur praeterea exempla haud pauca, ex quibus erui potest, eum analogiae tantummodo obtemperantem a recta dicendi via paulum deflexisse. Cum multa eiusmodi afferri possint, eligam pauca:

«Nullius adhuc dei conscientia, nullius adhuc novae legis initia» (*Adv. Marc. IV. 20*).

«Sanguis animi gelescit (1), caro spiritus exolescit, nausea nominis inacrescit» (*Scorp. 1*).

Neque vero huiusmodi tantum scitamentis, ut quodam Gellii verbo utar (*Noc. Att. XVIII. 8*), eum indulsisse adfirmabimus; verum iis omnibus etiam, quaecumque ad legentis animum permulcendum alliciendumque ei necessaria viderentur. Ac quidem, si cuiquam, Tertulliano scilicet opus erat eas omnes rationes sequi ac vias, quas rhetores, quas sophistæ, quas quidam causidici inire solebant. Quid mirum? Is enim contendit in primis ut Christianorum fidem adversus gentes defensaret, deinde propriam eius contra plures haereticos doctrinam propugnavit, mox demum Ecclesiae disciplinam, postquam ab ea descivit, acerrime impugnavit.

Nunc igitur considera, lector, qua dicendi ratione Africanus scriptor, nimio animi vehementique fervore percitus, usus sit; gradationes, quae vocantur, dico; quibus Tertulliani opera ita scatent, ut eum existimes ad eas tunc praeferendum confusisse, quum sententiis plus ponderis afferre vellet. Ac nonnullas hic excerpere iuvat:

«Adeo decepit eum quia inviderat, inviderat autem quia doluerat, doluerat quia patienter utique non tulerat» (*De pat. 5*).

«Haec testimonia animae quanto vera tanto simplicia, quanto simplicia tanto vulgaria, quanto vulgaria tanto communia, quanto communia tanto naturalia, quanto naturalia tanto divina» (*De test. an. 5*).

(1) Hanc exhibet lectionem codex ille manu exaratus Agobardinus, qui principem haud dubie locum in omnibus, qui existant, libris manuscriptis Tertullianeis tenet. In vulgaris editionibus est: *gelascit*.

« Cum enim quaerunt adhuc nondum tenent, cum autem non tenent, nondum crediderunt, cum autem nondum crediderunt, non sunt christiani » (*De praescr. haer.* 14).

« Quis mali extraneus nisi qui et inimicus? Quis inimicus nisi qui et expugnator? Quis expugnator nisi qui et punitor? » (*Adv. Marc.* II, 13), etc.

Arrepta autem occasione non possum quin alia huiusmodi notatu digna afferam, quae legentis animum hic illuc alliciunt, eumdemque satietate, si quando, correptum, delectatione quadam afficiunt. Ex paucis enim, quae infra sequentur, exemplis, id plane efficitur, Tertullianum nonnunquam pluribus eiusdem generis verbis facete sententias extulisse, quas, contra, paucis comprehendere poterat:

« Qui bellum spiritale adversus spiritales hostes spirituali militia et spiritualibus armis spiritualiter debelaturus est » (*Adv. Marc.* IV, 20).

« Si Marcion novum testamentum a vetere separavit, posterior est eo quod separavit, quia separare non posset nisi quod unitum fuit; unitum ergo antequam separaretur postea separatum posteriorem ostendit separatorem » (*Praescr. haer.* 30).

Ita saepe iocabatur ille subducti supercilli homo severissimus, tanta scientia tantaque eruditione repletus! Quam ob rem ne hoc quidem mirabimur, eum, dicacem quoque ac facetum hominem, ita locutum esse, nunc risu quodam: « Non placet Deo quod non produxit: nisi si non potuit purpureas et aerinas oves nasci iubere » (*De cult. foem.* I, 8), nunc verbis ad iocum exquisitis, velut: « Illa anima... aeri postea insultabit in aquila aut mari postea desultabit in anguilla? » (*De an.* 32). « Cultum dicimus quem mundum muliebrem vocant, ornatum quem immun-dum muliebrem convenit dici » (*De cult. foem.* I, 4). Tum etiam « Ad lenonem damnando christianam potius quam ad leonem » (*Apol.* 50). Et sexenta huiusmodi. Sed haec hactenus. Cetera autem non Tertulliani tantum propria, sed eorum omnium scriptorum praecipua, qui rhetorico colori praeter modum saepe indulserunt, opera pretium est ut missa faciamus. Alia quaedam, quae sunt graviora neque levi, quod aiunt, brachio agenda, in posterum differre iuvat. Interim haec, quae strictim de ista re attigi, quamvis imperfecta sint et manca, cum benevolentia, precor, excipiantur.

Galatinæ in Apulis.

JOSEPHUS MARRA.

## CRUCIS HISTORIA<sup>(1)</sup>

### IV.

INTER renovatae Christianorum picturae specimina, quod Ravennæ S. Apollinaris ad aedes usque demiramus luculentissimum est novi aevi testimonium. Artifex, qui argumentum sibi delegerat effingendum Dominicam Transfigurationem, Redemptori, novo numinis splendore induito, sermonis sensum sufficit, quem tum Christus Dominus de mundi redemtione habuit: « loquebatur de excessu, quem completerus erat in Ierusalem ». Crucem itaque in caelo effinxit, cuius in centro Christi effigiem retulit. Ut autem perspicua fieret expletae redemtionis significatio transversis crucis brachiis A et Ω posuit, in vertice autem IXΩΣ, sub imo Salus mundi scripsit.

Plana est inde artificis mens Christum effingendi cruci fixum, licet vix eius faciem in cruce posuerit. Ceterum suffictio haec nova prorsus non videtur,


(1) Cfr. num. sup.

si quis perpenderit Constantini labari signum, quod Christi nomen referebat, in summa cruce inscriptum.

Qui ritus igitur Crucifixi Domini effingendi piissimus, unde ignominiae aut cruciatus quaevis nota exsulavit, in phialis redit, quae Ierusalem in *Anastasios* basilica repertæ sunt; vitrea enim vasa illa haec praesuperant: Crux in monticulo tribus iugis insigni inter latrones cruci fixos eminet, cuius e latere quatuor aquae rivuli effluunt; ipsa autem non ex trabibus constare appetat, at veluti e palmarum frondibus contexta. Desunt protectores duo, qui passim in sarcophagis labaro custodiendo effinguntur, sed primi hominum parentes hinc et inde genuflexi adorant novae salutis signum; desuper, in laurea corona Christi nomen amplius non legitur, sed eius effigies exprimitur. Nullum sane dubium hanc effigiem persimilem esse ad unguem imaginis illius, quae in S. Apollinaris templo cruci addita est, eamdemque significationem praeferre, quam nomen Iesu sanctissimum in Constan-

saeculum usque viii et viii pervenimus, cum ipsum Golgotha cruentum miraculum describitur. At vel tunc artifices ignominiae aliquid suppicio Domini minuere conantur, eiusque imaginem vestiunt omnino ampla tunica manicis carente, qua non nisi serius expoliabitur, ita ut simulacro Redemptoris vix perizoma circa lumbos colobio sufficiatur.

Brevi sic Crucis historiam attigi: a Calvario monte catacumbas petit, ubi Christiani per tria saecula et ultra naviter condidere, ac pientissimo rito eius formam vertentes, eam anchorae sub specie, dulcis spei signum, neophytis praebuerunt et martyrum in sepulcris adumbrarunt. Neque spes illa fefellit: Constantinus enim victor Crucis item victoram constituit, quae tandem in lucem rosas gemmisque redimita, palmis contexta progreditur; labaro innixum, quod infamiae nota extiterat, triumphans circumfer-



“Transfiguratio Dominica” in templo S. Apollinaris, Ravennæ.

tur, ad humanum genus e servitute corporis animique vindicandum.

Ex ineditis MARIANI ARMELLINI.

## ARABUM MORES

PLAUDITE! Vivo adhuc, at ubi nunc sim, ferme vel ipse nescio, qui unde venerim scio, et ubi cras futurus ero prorsus ignoro. Accipite ergo hanc epistolam ex nescio quo loco scriptam, nisi forte satis sit vobis nosse me scribentem in « kaffearia taberna » - utor verbis a vobis optime in latinum sermonem invectis - morari, qui kaffeum, potionem suavissimam, et nostro longe kaffeo præstantiorem, nunc summis labiis libo, gusto, sorbillo, dum scribenti et arcanos illos insolitosque characteres super charta notanti adstant curiosi plures, neque carentes superstitione quadam circa meas magicas artes. Qui sunt hi? Nescio; nescieris et vos; neque enim ego eos barbara loquentes intelligo, neque ipsi me peregrinum, et per non quae sita peregrinantem loca, forte, ut meus est mos, gradiente intelligunt.

At quoniam provocavistis me ut scriberem, scribo; si desiderium vestrum non explevero, vosmetipsos incusat, non me, qui certa dare non valeo, qui Parisios reliqui Africam visurus et invisurus, et ex Massaua vestra per Aethiopes in Transvaalianas regiones iturus.

Qua de causa? Quo fine tantum iter?

Hoc sciatis, me domo exeuntem nunquam constituisse hactenus viae susceptae et suscipienda metam; nunquam constituam. Sic mihi nova semper fuerunt loca in quibus consti imprudens, quae si plena interdum periculi, semper tamen plenissima iucunditatis.

Ad me nunc, remigrantes ex Massaua, commentarii *Vox Urbis* pervenerunt, eosque nuper e diribitorio Hierapolis, quam Aleppum vocant, x cal. Aprilis suscepit; totidem autem quot a calendis Ianuariis ad cal. Martias editi sunt. Hos ego dum camelis impositus lego, viaeque fastidium lectione aut contraho, aut amoveo, illa audacia commentarii nostri verba occurunt, quae nasutus moderator noster de me iudicans, aceto et pipere et sale Atticos in me iocos et Gallicos et Italos, referto e salino et pleno ex acetabulo diffundebat (1). Pollicebatur enim sibi vobisque litteras meas aut ex ultima Africa, aut ex Sinis. Et quid Sinense in imperium ire statueram, atque ideo liburnicam, triremem, longam, bellicam, classiam, loricata navem nostram ascenderam, locum dante amississimo duce, quocum in disciplinis annos meos a pueritia ad iuventutem exercui.

Iamque Sinensis illa cupido, Mediterranei maris dum sulco fluctus, deferberat, et amor terrae impatientem navis angustias agitabat, vexabat ferocior in dies. Amicum obsecravi, ut me solo redderet; et Massaua vestra potitus sum. Inde per litora versatus aliquantulum, in Aethiopiam, in Transvaal meditabar iter, fortasse praeliis datus operam, me quippe dedecet inertia. Sed maior mente prudentia me continebat, prohibebatque quominus maturarem. Dum hinc inde trahor, abrupti me Aegyptiorum religiosa cohors, quae Mecam Mahometi suo sacrum factura, petebat. Apparebant mihi Nivensia, et Palmirena, et Babilonensis ruderæ; accercebant Palaestina litora. Nihil cunctor; una cum illis viam ineo, et Erythraea praeter aquora vectus navi Giddam cum sociis appello. Quid facerem? Iterne proximam versus urbem perficerem Mahometem veneraturus et ipse? Quid si minus?... Iterum in navi, quidquid Rubri Maris reliquum est ad isthmum usque remenso, per Syriam

(1) Cfr. an. IV, n. I, pag. 7.

agor Hierosolymam petiturus. At hic, casu mihi sueto, dum Ierusalem posco, Tripolim reperio, et obequitans asinis egregius atque equis, mulisque et camelis insignibus sine ritu, more, modoque huc illuc feror, cursito, vigor beatus ignotis undequaque rebus, novisque quotidie assurgentibus.

At gratulor mihi quia commentarius noster in suo dilemmate erravit, seque ceterosque fecellit; neque enim Africa me, neque Sinenses tenent, sed prorsus non nominata ab illo tellus, quam nec ego, ne mentiar, nomino; nescio namque ubi sim. Locus, si vobis ista sufficient, est ad boream Hieropolis, inter urbem hanc et Euphratem; oppidulum Arabibus satis notum, vix tamen bis millibus hominum frequens, si tamen cives hic e viarum frequentia iudicari possint, ubi rarae et velo, siquae vadant, cooperatae mulieres, rari pueri, puellæ omnino nullæ, senes et homines in tabernis, in officiis seu bellariis, seu tabaco, seu potionibus, aromatibus et saccharo conditis, tota die indulgent inertes, saepiusque muti. Ne vero dicatis aulam aut aedem (sacrilegium sit) casam hanc, in qua scribo: olim fortasse condendo foeno inservit, aut ego sum coecus. Lychni pendent a laqueario neque dealbato, neque picto; lateres, tegulae, ligna semet ostendunt. Ad portam, fere dicam in limine, mensa quaedam est lignea, cuius in medio constrictus testa, lateribus focus ardet, quem circumdant undique ex cupro vasa cylindrica, calido plena kaffeo. Circum in solo ad parietes parva sedilia, et stromata, seu tapetes, in quibus sedeant, qui adveniunt minime munditie spectabiles. *Cafègi*, id est kaffearius, afferit in exiguo scypho potionem suavem - mehercule suavem!; en quartam iam sumo, nondum duabus horis exactis - et una cum potionē vas ex vitro aquae fere plenum, cui vasculum superimponitur tabaci optimi solii bene saginatum et fumans. Fistula, addita intercapidini, quae sine aqua est, sumum attrahit; fumus autem necesse est aquam praetertranseat, nam a tabaco ad imum vasculi fistula vitrea porrigitur. Huiusmodi vas dicitur *narghilé*.

Me ista notante, ecce homo, qui vestibus induitur projecto non novis, neque recentibus; pluribus quippe

maculis ubique sunt sordidae ex uguine, oleo, et omni ex genere macularum; cui tamen omnes arrident. Hic locum sumit iuxta parietem, quae contra portam est, et in se statim oculos omnium atque ora convertit. Mox in communi silentio dicere incipit, quasi narret, in narratione exardescens assurgit, et gestu, voce, oculis impetu exserit singularem, pedibus suppludit vehementius, et vox iep!, quadam exclamacione interiecta, saepe in sermone recurrat. Novi postea hunc arte sua narratorem fabularum esse, quibus Arabes maxime delectantur, quaeque constant praeliis sanguinolentis, gigantibus, monstris magis quam horatianis, turribus, castellisque magica potentia munitis, puellis inclusis, heroibus super aquilas, hippocryphes, centauros equitantibus, mari terraque potentibus, diis infernis, lemuribus, geniis, angelis modo obstantibus, modo iuvantibus. Incredibilia auditu, impossibilia factu eadem facilitate promit, religione summa audienda, forsitan et credenda ultra aequum et par, dum caelestia, humana, tartarea miscet, versatque furibundus quasi et anhelus. Ubi conticuit, probare omnes, interrogare de casibus, precari ut quaedam fusius explicit, quaedam iteret. Ille indulgere petentibus, morem rogantibus gerere. Et mox afferrari sorbitiones, *narghilé* illud; ille refici et recreari triumphaliter.

Verum dum haec aguntur, dum satagit tabernae dominus, tria aut quatuor verba Gallicum sonantia pronuntiat. Erigor ego, et manu apprehendens: — Num tu Galilus civitate? Da nomen. — Ipse mihi: — Donnet vocor, Franco patre, matre Arabica genitus. — Emicat mihi vita. Iamque plura parabam, cum fragor et clamores, et lituum, tubarumque, tympanorumque sonus omnia complet. Me Donnet manu extra limen rapiens: — Vide — inquit — haec, qui insuetus et insolens rei es. — Obstupui consciens... quod altera in epistola vobis narrabo.

At interea cavete ne et hac de re, et de me vaticinium instituatis, nisi velitis de mendacio periclitari. Vos autem exspectate rem, quam vultis novam; ego vincam exspectationem vestram. Valete.

A. VIEILLOT.

31]

## LOLLIUS

### SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Loll. — Planius certe poteram: utrum melius, ignoro. Sed uterque nostrum cauti Syrtes vitavimus, nulla re proposita, de qua non possemus cum Tullio disserrere. Quare de mathematicis, de physicis nihil; nihil de novissimis inventis, commerciis, industriis; de praesenti denique hominum societate, nonnisi quae cum antiquis communia essent, attigimus. Scilicet nulla urget necessitas viciose loquendi, ut imperitis docti esse videamus.

Haec dum intenti disputant, obliti comitum quos haud exiguo intervallo post se reliquerant, circumfusae multitudinis impetu se improviso dividentis in duas alas, rapiuntur in crepidinem viae. Mox, auditio buccinae signo et stridore rotarum, in commune spectaculum oculos atque ora convertunt. Caeruleis cooperatum zonis contextumque floribus currum albentes vehebant equi. Insidebat eminens, regio cultu, totius larvati agminis princeps. Adstant equites nobilissimi, aureis torquibus et decoris armis conspicui; sequebantur regii apparitores atque satellites. Unus autem erat omnium clamor, eadem salutatio: «Aveto, rex Quibuscumque» — sic enim hominem appellabant. — Quibus ille spumantem exhibens pateram, iterabat voices; — Adeste, amici; admovete sauces non invitatis, o Latii regni administri, *Quin, Nonon, Inquio, Status*. — Interim strepente tubarum cornuunque concentu, omnes inundantur Salerno, sese mutuo compellantibus: — Huc, huc convenite; ubinam te occulisti o Scilicet? Quid rerum agunt *Videlicet, Nempe, Nimirum?*

Magnam ex eo visu cepit voluptatem Trebatius, maiorem etiam ex vulgi opinionibus, aliis iudicantibus, Germanos esse, aliis Hispanos, aliis Graecos, qui curru vehementur. Mox tamen suspicatus tonies iteratas voces ad

aliquam irrisiōnem pertinere, substituit tristis, et ad Lollum conversus: — Credo — inquit — esse alumnos lycei.

Cui Lollius: — Ad ea crepundia, ni fallor, sese addiderunt familiares nostri Pisones et Philippus. Hunc certe non tam vox prodit, quam ratio potandi. Quae vero usurpat sibi nomina, ea mihi videntur ex Arcadii oratione desumpta, quam poscenti tibi mane tradidit Censorinus. Tum senex, innectis in utramque peram manibus: — Mecum habeo — inquit — nec iam memineram. — Explicatamque continuo chartam subiecit oculis Lollii. Simil coepit uterque portam Cynthiam versus tardissimum pedem referre.

— Vide queso — inquit Lollius — quemadmodum plura heic vocabula notata sint, suppositis transverso calamo signis.

Treb. — Obversatur primum nec nou, Vergiliū ergo in hisce vituperes:

*Nec non et lini segetem et cereale papaver  
Tempus humo tegere* (1).

Loll. — Poetas omnino, quasi alia quadam lingua locutus, non conor attingere, ait Tullius (2). Quintilianus autem: «Meminerimus, non per omnia poetas esse oratori sequendos, nec libertate verborum nec licentia figurarum» (3). Hic igitur usus iis relinquitur, qui nullum censem verborum delectum esse adhibendum; quod quidem sane commodum est atque expeditum. Item poetarum est ponere et pro «etiam»; scriptoribus reliquis nonnisi certa lege concessum (4). Poetica sunt etiam: *omnigenae, innumera, quibus sufficienda sunt: «omne genus; innumerabilia»*.

Treb. — His ergo compedibus libera ingenia coercentur ab auctoribus et inventoribus harum sane minutiarum rerum?

(1) *I Georg.* 212. (2) *II De Orat.* XIV, 61. (3) *Inst. or.* X, 28. (4) *MADVIO. Gram.* § 433, A. I. — *SCHULTE,* § 165, n. 3 — *CIMA, Teor. brev.* § 14.

Loll. — Malo cum Tullio indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem; malo laudari quod crocum, quam quod terram olere videatur; malo nudam Caesaris orationem quam genus lutulentum Lucillii, qui;

... in hora saepe ducentos,  
*Ut magnum, versus dictabat, stans pede in uno;  
Garrulus atque piger scribendi ferre laborem;  
Scribendi recte; nam, ut multum, nil moror...* (1).

Illo vero deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem esse se confiteri; quinqueremes, aut etiam maiores, gubernare didicisse (2). Quid quod ait Caesar in *Bruto* Ciceronis, verborum delectum originem esse eloquentiae? (3)

Treb. — Quidquid id est, mihi videtur parum vitae et cordis, parum animae ac spiritus Censorino esse, qui ista carpserit: — dum vita manebit; — agam ex corde gratias; — cuius anima non commoveatur; — quoad spiritum.

Loll. — Cavendum in primis, ne, dum oratorium numerum quaerimus, in poeticum incidamus, quod olim Bruto accidit, hac hexametri clausula suam sententiam concludenti: «quamquam sciunt placuisse Catoni». Quin et ipsi Tullio dictum excidit: «cum loquerer tantu fletus gemitusque siebant. — Censorinus autem, si latine sentit, plus «animi» habebit, quam «cordis». Cor enim, si quid inerit vitii, non tam curandum tradetur grammaticis, quam medico nostro Philippo. Eidem egregio adolescenti, si sapit, plus «animi» erit quam «animae». Etenim, ut docet Nonius: «animus est quo sapimus, anima qua sentimus» (4). Denique, si poeta erit non humili «spiritus», non solum corpori, sed etiam «animo» excolendo vacabit, donec extreum «spiritum agat».

(*Ad proximum numerum*).

P. ANGELINI.

(1) *Hor. I Sat.* IV, 9. (2) *I De orat.* XXXVIII, 174. (3) *LXXII, 253.* (4) *426, 27.*

## QUORUNDAM ANIMALIUM VIAE, PUGNAE, INSTINCTUS

**Q**UONIAM eo tempore sumus, quo res hae propius percellant, aliquid adnotare placet in iis, quae ab animalibus offeruntur miranda potius quam respicienda.

Et haec nos quidem aspicimus potius quam perspicimus, nisi altius oculos intendamus. Causamque rerum potissimum in exiguis etiam fateamur pulcherrime facientem, et minima quaque opportunissime temperantem ac disponentem.

Prima itaque sunt animalibus praescripta itinera quae-dam, alimento eorum et generationi mire convenientia, quae adamussim pariter variarum ornatui tempestatum et conditioni respondent, atque hominum utilitati aptissime inseruntur.

In quibus mihi notanda praecipue occurrit lex, qua maris et caeli patet his via felicior longe ac tutior illa, quam nos fulti doctrinis, experientia muniti, omnibus de-nique subsidisi praecincti aggredimur, calamitatibus et in-fortuniis obnoxiam.

Hirundines enim certo tempore discessurae, quasi e condito simul, singulis turmis per oppida singula nativa, atque, ut ita dicam, patria coactis, ire per aerem, redire, laetitia dices gestientes, ibique morari, diuque interdum innectere quasi moras. Ne credas id absque causa; tem-poris opportunitatem exspectant, non qua serenus sit ae-ther, et mare placidum, sed qua consentiens afflet ventus in loca petenda. Ubi instinctu novere haec esse coram, subito consilio cohorte facta, aciebus instructis, inire vo-latum, addere sese sociis, quae proximiores litoribus qua-rendis exstant, ac demum agmine longo, exercitu magno pennas dare secundis flaminibus, et ex Italicas regionibus in Syriam, in Aegyptum, in Libyam, in Mauritaniae ge-minas tuto procedere.

Absit ut cogites devias ire, errare posse, deficere. Unaquaeque probe noscit unde abeat, quo tendat, qui sint scopuli, insulae, aiae ad requiescendum in via. Nec una deerit proposito. Revisent ad apicem domos, tecta, turres unde venerunt, unde vere novo migraturae in no-stra redibunt; nec defuere ex hisce delicatissimis avibus, quae singulis autumnis, quae vere quovis, alligatis ab hospite taeniola et charta sub ala, nunciae fuerint mutuae salutationis inter homines qui Italiam et Africam incole-rent, nec alio modo, nisi hirundine hac, novissent esse eum, a quo salutarentur quotannis.

Numquid unquam sefellit eos ventus? Numquid, iter quum facerent, procella unquam orta est?

Quae de hirundinibus dixi, haec etiam de coturnicibus dictum velim, quibus idem iter, eademque quotannis ge-mina conscienda sunt litora, praeter unum illud, quod plerumque noctu aggrediuntur, diebus delitescentes in herbis et paleis ad litus maris, at labundae et vix binae. Idque eo mirabilius; nam non ceterarum exemplum eas movet, nec multitudo similium trahens, sed quaedam in-terior vox, quam quo nomine appellem nescio, monen-tum autem scio. Atque haec talis est ut, quae singulæ aut binae tantum evolare ac demigrare videantur, debito spatio interposito, ad oppositum quae situmque litus pervenire simul cernantur. Quapropter quotannis est iis tum Maio, tum Septembri mense miserrima clades ex retibus ad oras pelagi preparatis.

Cur autem insidias anno insequente non vitant? Cur alio non appellant? De itinere vox illa monebat, de in-sidiis non admonebat.

Et quid erit scolopax nobis? Aestate nives et frigora quaerens aut Alpium aspermina, quae inter Asiam et Eu-ropan sunt, ac Urales montes vocantur, aut siqua ha-bentur inaccessibili gelu loca deserta tenebit, ibique dabit operam filii; redeunte gelu, et saeviente apud nos hieme redibit; nec tamen erit insidiator aut scrutator ex nobis, qui de invento aut reperto scolopacis nido glorietur.

Iam nunc est sermo de iis, quae - mirabile dictu! - ani-mantia subdia septem sunt stellis, quas Triones appellant, aut Carrum, aut Ursas. Ex hisce pleraque ubi concrevit glacie mare, perpetuoque illo Borea semestri omnia nive

obducta et abdita sunt, indumento albo vestiuntur, ne hostibus, ursis præsertim albis, facile innotescant. Tum ex regionibus illis aspermissis, ubi mitiorem aerem sex experta sunt mensibus, ex illa Borealis poli pace descendunt, quasi exsulans inde sex mensibus lumen sequentia, redditura rursus ad Arcticas oras, ubi tempus monuerit.

Sed nos fortasse de iis peculiarem sermonem consti-tuemus, prout constituemus pro certo de piscibus ex loco in locum migrantibus, quorum exodus et vices facto patent, causis latent, redditus non satis notescunt.

Nunc ut finem, prout spatia ferunt acerba, scripto componam, aliquid addam de instinctu illo mirabili, quo animalia se suosque tuentur, atque illa præsertim, quae minus ad bella et prælia parata videantur.

Equis enim credit esse Martis et vim et animos colubris humanissimis, quibus non modo in accipitres, in milvios pugnam ineant, sed felici prælio victores existant, et immisericordes, incruenta quidem sed indeprecabili, neque minus tamen horrenda, nece mulcent latronem sanguinolentum et execrabilem?

Rem ita confidunt. Vix columbis innotuit milvium, accipitrem, et si quid huius est generis, ter quaterque grasa-ri, ubi illae versentur, et caedem filii carissimis comparsae, hic illuc in foraminibus rupium altissimarum, ad arborum procerissimarum truncos quo melius possunt modo abund se, delitescunt, occultantur, acutissimo quo pollent visu longius aerem scrutantes. Ubi hostem vide-runt prope habitacula sua inferius ambientem, simul omnes prodeunt e latebris, et agmine facto, consertae super latronem ita ingruunt, ut necesse illi sit, si ut alis velit, proprius terrae volare. Qui, impatiens dominium imbellium, non stare, non morari, sed abire in liberum, et apertum. Frustra. Cohors aeterna super terga impen-debit, quam ipse non unguibus, non rostro valet diffin-dere. Nulla ad cibum capessendum quies, ad bibendum nulla inimico, dum interea illae, manipulis e grege di-missis, per orbem pascuntur. Sic ille aut fessus ad mortem necabitur, aut, idque saepius, immo plerumque, in flumen aliquod, in mare, in lacum compellitur, prementibus de-super omnibus, adnitentibus, neque linquentibus, nisi prius viderint et calcaverint apertis aliis inutilia super aquis mortiferis conantem, et in profunda miserrime descentem.

At si qua sit inter anima et animal proportio, tunc pugna, tunc prælium aliquid ex epico induit, et vel Homericu dignum carmine videtur. Exemplum afferam.

Glandibus et castaneis vescuntur maialium greges ad Apenninorum radices. Martii lupi apenninicolae, tum premente frigore et pellente nive, tum adigente fame, ex nivoso et nimboso cacumine ad inferiora montosae domus descendere solent, sibi, suadentibus esurie et rabie illa inexplibili, suinos facile patere greges putantes. At vix odor vento innotescit, aut suspicio inimici aliquo signo ingruit, aut, quod facilius est, aliquis e suis respexerit, ineffabilem grunnitum prius emitit, et fuga salutem, si solus, petit; si plures, terga ad tergum constituant, et, classicum grunnitum canentes, impetum luporum expectant.

Interea silva omnis resonare vocibus illis suinis, quae

nescio quid præferunt inter iram et dolorem, et eodem tempore undequaque concursus ad locum. Arbuta, vepres, quodcumque patet furiantibus porcis, atque ruentibus, præcipiti cursu anhelantibus ferociter, et spumas mandantibus. Momento temporis lupinus manipulus includitur denso circulo suum, qui circulus in momenta arctior fit; nam, qui minores viribus ac dentibus, rostrum a facie luporum digredientes retro ferunt, et quasi alterum orbem conficiunt post principes, quibus laniana commissa est; id enim eo tendit, ut sensim rostra porcorum luporum membra contingant. Suina buccina clangit interdum sine mora, et novi bellatores iugiter adventant. Seu terrore, seu salutis instinctu fiat, lupus et lupi saltum moluntur, quo integra cingentum corpora maialium tranent. Hoc lanianæ initium; nam vel principes vel triarii corpora volitantia saltu dentibus et rostro arripientes in oppositos porcos vi magna repellunt, hi in alios, et alii in primos, dum lupino sanguine rubent rostra maialium, dum volitant exta e dissesto luporum ventre per aerem, dum

tota tellus sanguine redundat. Neque horribilis cessat ludus huiusmodi, qui cum lusu pilorum apud nos commune aliquid habet, nisi prius non lupi, non lupus, sed disiecta ac propemodum communata membra occupent aereni; aerem composito dicam, quia nunquam terram attingere fas est, solummodo horrentia et hiantia rostra porcorum. Quum autem hisce compertum sit non esse amplius in ludo lupos, sed quaedam avulsa capita, quosdam armos, et osseas crates, tunc circumspicientes cauti terram scruntur naribus, et reliquias illas, si quid adhuc vitae super-sistit in iis, novo exagitant ludo, donec penitus contritum quid sibi videantur.

Haec autem satis nunc habeantur. Nos, qui testes olim fuimus, alia eaque pluribus ignota de hac re proxime constituemus.

M. LANI.

## EX AMERICIS

De praeside Mac Kinley suo muneri initiato.

**Q**UUM longo et ob hiemem iniucundo itinere defa-tigati ad optatum tandem pervenisset locum, id est Washingtoniam, de vehiculis hilares descendimus, mi-rantes, quae oculi essent conspecturi. Omnes, quae circa nos sunt, viae hominibus plane refertae singularem qui-dem praebent aspectum, sed nos omnino impediunt, quo minus oculus progrediatur. Hodie enim festivus peragitur dies, quo praeses Mac Kinley augustum suum et supre-mum munus cum fidelitatis iure iurando inturus est. Ad-sunt itaque reipublicae fautores, qui magno affecti sunt gaudio, quod ipsum cura industriaque praeses electus sit; adsunt et populares, qui profligatum Bryam lugentes, communia tamen suffragia, amoto factionis animo, appro-bant et praesidi munus ingressuro magnopere applaudunt; adsunt etiam sexenti tam ex patricio quam ex plebeio genere, qui sive rei novitate, sive videndi cupiditate al-lecti, rei eventum mira cum patientia aucupantur.

Iam vero, viis frequentibus relictis, ad « Albam domum » quae anglice *White House* dicitur, sine mora pro-peramus. Quae ut in conspectum venit, mirum in modum commovemur; domus enim illa illustrissima ob oculos versatur, in qua summis ingentis Reipublicae gu-bernator vitam degit, de qua digna ubique terrarum mentio saepissime fit. Aedificium vero simplex quidem est nec magnum, sed elegans et oculis pergratum. Praeterea amoenissimum, in quo domus sita est, viridarium domum haud dubie reddit dignam, quae tanto talique coryphaeo mansio sit. Exeunte anno 1792, Washingtonio praeside, aedificium extrui coepit est, quod tandem aedificatum Angli anno 1814 igne fere deleverunt. Quum igitur do-mus restaurata, ne ignis notae paterent, albo colore or-na-ta sit, communi populi voce « Alba domus » nuncu-patur.

Quae dum mente revolvimus, praeses omnibus silentibus et aperto capite adstantibus, demum provenit et populo salutato vehiculoque ascenso, triumphali cum pompa ad Capitolium, Pennsylvaniana via, deducitur. Quae plebs viam utrinque obsidet, eum magno cum plausu et ingenti cum laetitia prosequitur. A longe illud quod ad excelsas nubes minut, Capitol'um magnitudine et amoenitate inclytum sub adspicuum cadit. Quantum et quam elegans atque quam venustum aedificium! Non po-tes, quin reputes, te non Washingtoniae, sed Romae morari, quippe Capitolii tholus Romano Sancti Petri tholo similis est. Permagnum hoc aedificium, Washingtonio ipso praeside, aedificari coepit et labentibus annis amplificatum anno 1859, eam, quae nunc habet, magnitudinem adeptum est, decus vero et coronam totius operis eximius ille, qui eminet, tholus constituit, cui nitidis columellis ornato immanis libertatis statua superimposita est. Tres amoenissimae, quae oculos delectant, porticus omnesque egregii aedifici parti in unum spirantes admirandam praeseruent elegantiam atque amoenitatem. Totum quod iure admiramus aedificium septingentos quinquaginta pedes et unum longum est, ac trecentos quinquaginta pedes latum,

quum summa libertatis statua trecentos et septem pedes a terra distet. Sed praeses, quum interim iam ad medium pervenerit porticum, fidelitatis iusurandum, summo judice duce, datus est. Iam solemne, nullo rumore persistente, silentium; omnium oculi ad praesidem conversi, omnium animus rei momento concitatus, dum senatoribus et populi oratoribus omnibusque ex variis terris legatis circumstantibus, praeses serio vultu gravique more iurat, se praesidis munus foederatae Reipublicae defensurum esse atque protecturum. Paulo post, quum et Roosevelt praesidi adlectus suum in Senatu dederit iusurandum, praeses, habita oratione, cum suo adlecto eadem, qua deductus est, pompa ad «Albam domum» reducitur. At caelo minus iucundo leniter pluere incepit, quod unoquoque anno et hisce diebus evenire solet. Plures igitur Americani vehementer exoptant, ut dies, quo praeses suo muneri initiatur, in alium mensem caelo sudo praeditum transferatur, quo longius a temporis iniuria absint spectatores. Nos itaque, caelo ingrato, quam primum discedamus, atque Uropolim recto tramite profisciamur, admirandum illud Americanarum nationum ostentum visuri.

Chicagine.

H. DOSWALD.

## ANNALES

Tolonenses feriae — Sinensium negotia — Bulgarorum Serborumque novae res — Transvaalium bellum — Ex aedibus Vaticanis.

In ferias, quae Nicaeae ad Varum, quae Tolonae habitae sunt, Europa omnis civitas convertit oculos. Iberi, Itali, Galli nautae longos post annos intersese convenere, et humanitas et fraterni studii pignora commutarunt; quod quidem faustissimum auspicium renovatae latinae fraternitatis sumere placet.

Cum quae de Manciuria provincia hactenus agitaverant consilia Russi tandem abdicaverint, restituentiae Sinensibus paci, servanda Europaeorum Americanorumque et Iaponiensium concordiae princeps obstatum remotum creditur. Spondent igitur negotia de componenda Simensi terra celerrime fore ut expediantur: spei vero contradicunt aliquantulum res; nam Bailloud, Gallorum imperatorem, et Waldersee Germanorum novas parasse copias audivimus, ut in Sinensem quemdam exercitum ad iter tutandum prae Pao-ting-fu imperiali urbe constitutum suo e loco depellant. Quinimmo frequentiores in dies iterantur iam nuncii de redintegratis heic vel illic Sinensium latronum viribus, deque imminentibus novis praeliis novisque periculis. Uni autem ex implicato nodo egressi tandem Americani, quorum copiae omnes, praesidio vix ad suas legatorum aedes tutandas derelicto, in Philippinas proximas insulas discesserunt, quo facilius citiusque, post Aguinaldi ditionem, pacem et vivendi securitatem nova in colonia ubique restituant.

Sarafow, qui in Bulgaria coniurationi praerat ut Macedones commoveret eosque contra Turcas excitaret, in vincula deiectus est. Rumenis primum atque item Turcis et Russis gratissimus eventus ob sublatum novarum discordiarum metum; populis enim viçissim de imperio suo augendo decertantibus, parum arrident conatus, quibus forte servata hactenus domestica quies perturbetur. Ea inter solemne fuit Serbis Alexandri regis sponzionem, quam septem abhinc annis thronum ascendens dederat, adimpletam fuisse. Itaque novi reipublicae ordines regio decreto constituti, Patrumque coetus funditus renovatus.

Boerorum reliqua agmina septemtrionalia versus suae regionis loca secedunt, quae asperitate et altitudine aggressus hostium facilius prohibeant. Ut autem extrema haec eorum conamina vana reddant tripartito exercitu Angli post eorum vestigia concurrunt: Plummer imperator Pretoria ex urbe Petersburg, Kitchener Lydemburg moenia, Douglas tribunus Belfars profectus Dulstrom oppidum, petunt. Botha vero in Veldt silvis sese abdens, Anglos post sese trahere ad iniquum praelium callide nititur.

In Vaticanis aedibus Sacri Consistorii coetus primatum, deinde publice habiti: purpurae donati Alexander Sanminiatelli Zabarella, Franciscus Della Volpe, Donatus Maria Dall' Olio, Casimirus Gennari, Iulius Boschi, Augustinus Riboldi, Bartholomeus Bacilieri, Sebastianus Martinelli, Leo de Skrbensky, Ioannes Kniaz de Kozielsko Puzyna, Felix Cavagnis, Aloisius Triepi. Quibus Augusti Senatus novis patribus Vox Urbis ex animo gratulatur; at gaudet praesertim Aloisium Triepi ad tantum honorem evectum, et quia latini eloquii peritissimum, et quod nostros inter suffragatores unum e praecipuis, quem grata semper mente sumus proseguuti. Hunc modo Eminentissimum principem, curis aliquantis per remissis, quibus hactenus pro variis Ecclesiae negotiis distentus est, veteris promissi memorem fore confidimus, et, qua scribendi vi ac venustate pollet, commentarii nostri paginas ornaturum.

POPICOLA.

## PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS

In Anglia Hicks Beck, cancellarius, rei pecuniae sumnam exposuit: aes alienum ad quinquaginta mille centena millia libellarum Anglicarum fore ut excrescat praeunciavit: qua de re augendum proposuit vectigal quod Income Taxe appellant.

In Austria, Koerber doctoris industria, in praesenti saltem, Germani, Poloni, Slavi vicissim conciliati videntur, ut ea quae pecuniaris res spectant cayeant concordi animo atque decernant.

In Chilena republica novus administratorum coetus convenit, cui Zanarti praest; Orrego Luco autem externis negotiis gerendis adiectus est.

In Cubana republica popularium legati recens ad leges ferendas adlecti maximis suffragiis oblata sibi ab Americanorum Senatu propositiones respuerunt: Americani vero quo adusque sua imperia accepta non fuerint militari manu insulae res publicas moderabuntur.

In Germania iterum resumptae popularium legatorum sessiones, disceptatumque primum de iure dominii quod ad scriptores spectat super opera suo ingenio, aut labore, aut industria parta.

SCRIBA.

## LIBRORUM RECENSIO

Prof. CIRO MASSAROLI, Lavori poetici editi per cura della Commissione dell'Orfanotrofio maschile di Faenza. — Faventiae, ex off. Novelli, 1900.

Faventina puerorum domus altrix optimum sane suscepit consilium edendi carmina Cyri Massaroli, pupilli quondam sui, anno MDCCXCVII vita functi, inter politiores aetatis nostrae scriptores iure adnumerandi. Vix enim leviter eius versus degustaveris, sive quos multiloquia inscripsit, sive nenias modeste nuncupavit, facere non poteris quin eorum festivitatem et leporem, sententias reconditas et exquisitas, dicendi subtilitatem admireris. Quamquam vero atticam venustatem noster sapit, minime

tamem alienis usus est coloribus, sed est totus suus. Mirum etiam quod in tanto morum languore christianam sapientiam haec scripta redoleant; quod quidem aliud decus Massarolio constituit.

**Le glorie di Terra santa.** Storia dei suoi eroi, dei suoi martiri e dei suoi pellegrini, per MARIA SODAR DE VAULX. Traduzione dal francese del P. Emilio Crivelli O. F. M. — S. Mariae Angelorum ad Assisium ex officina della Porziuncola, 1900 — (vol. 2).

Mariae Sodar De Vaulx opus de Terra Sancta opportune est in lucem prolatum. Plures enim libri sunt, nimis immo, qui argumentum pertractant, neque si desunt qui Sodalium a sancto Francisco saeculares labores in Orientalibus illis plagis, uti par est, attingant: nullus vero qui eorum sensum ad amissim inquirat, perpendat ac reddat. Heic vero quaerat fortasse quispiam maiorem passim iudicij illius comparationem, quod criticen vocant: sed, aut ego fallor, scripti redigendi ea fuit mens, ut ex testimonio satis confirmato virtutis exemplum sumerent lectores. Re quidem vera, libro perfecto, et erga sacra illa nostra Redemptionis loca et erga eos qui omnibus angoribus cruciati illa tutati sunt animus magna dilectione perfunditur.

I. F.

## AENIGMATA

Ore avido alterius rodi solet alterum; at ipse Rosor in integri guttura saepe cadit.

II.

Primum alit affectus; letho dat triste secundum; Coniunctum, antiquo nomine Cyrus erat.

I. BATTANIUS.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus sortitus gratis accipiet opus, cui titulus:

LE EGLOGHE PESCHERECCHE

DI IACOPO SANNAZARO

ED ALTRE POESIE LATINE

con la versione in versi italiani di LUIGI GRILLI.

Aenigmata a. IV, n. V proposita his respondent:

1) Caeres - Caedes. 2) Roma - Maro.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Franc. Xav. Reuss; Th. Vinas Sch. Piar., Roma - P. Garrone, Pezzana ad Vercellas - M. D. Le Provost, Briocen - Guil. Schenz, Ratisbona - Vict. Vila Sch. Piar., Stella - Fr. Sallarés Sch. Piar., Sabadello - Car. Stegmüller, Sabaria - B. Vannini, Florentia - Princ. Gordon, Mancunio - Eug. Sosio, Bormio - H. A. Strong, Liserpalo - Wil. Matloch, Meran - Fr. Altobelli, Neapoli - I. G. Grünes Schol. Piar., Nikolsburg - I. Szymajtis, Opitoloki - Valentinus ab Aletrio, Tusculo - Ad. Huza, Grybovio - Mich. Vidal, Palma in insula Maiorica - Ad. Skrzypkowski, Swinice - Am. Robert, Marieville - Aug. Roberge, Chicotino, in Canada - Hild. Guepin, S. Dominico de Silos ad Burgos - Abr. Morchio, Genua - Herm. Gini, Taurinis aquis - G. P. Z., Modoetia - Ios. Crosatti, Poianno - Aug. Mayer, Seccovio - Societas philologica Mediolanensis - Ioan. Brill, Tetingen - Ver. Cariolato, Vicentia - Alois. Cappelli, Senis - R. Pancaro, Consentia Brut. - Cam. Crespi, Mediolano - G. Maurer, Bonna ad Rhenum.

Sortitus est praemium

EUGENIUS SOSIO,  
ad quem missum est opus, cui titulus:

LUIGI VIGNA  
SANT'ANSELMO FILOSOFO

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

est totus suus,  
uore christianam  
od quidem aliud

dei suoi eroi, dei  
MARIA SODAR DE  
Emilio Crivelli  
Assisium ex offi-

ra Sancta oppor-  
libri sunt, nimis  
neque ii desunt  
lulares labores in  
ettingant: nullus  
uirat, perpendat  
ispian maiorem  
od criticen vo-  
di ea fuit mens,  
s exemplum su-  
perlecto, et erga  
t erga eos qui  
t animus magna

I. F.

; at ipse  
dit.

secundum;  
is erat.

BATTANIUS.

tis interpreta-  
miserint intra  
accipiet opus,

ECCE

INE  
UGI GRILLI.

is respondent:

- Maro.

Vinas Sch. Piar.,  
J. D. Le Provost,  
Vila Sch. Piar.,  
Car. Stegmüller,  
ordon, Mancunio -  
o - Wil. Matloch,  
nes Schol. Piar.,  
tinus ab Aletrio,  
Palma in insula  
n. Robert, Marie-  
Hild. Guepin,  
io, Genua - Herm.  
los. Crosatti, Po-  
logica Mediolanen-  
Vicentia - Alois.  
- Cam. Crespi,


OFO

i, iurisperitus.


Socii.

## PER ORBEM

ANGLICA diaria loquuntur passim de ferreo novo itinere mox per medianum Germanorum Africanam coloniam deducendo, cuius inceptus certus iam esse videtur. Deutsche Bank, Berliner Gesellschaft aliaeque Germanorum argentariae mensae earumque sodalitia manus rei admoverunt, seseque iam Germanorum res publica vadem dedit de lucris quae sodalibus post expletum opus erogabuntur: eisque immo et certa arva fore ut adsignentur promisit. Quare cito ea pars novae sternendae viae inchoabitur, quae ex Dares, Salam, Mrogoro locis nomen habebit, novaque deinde prosecutetur per Mrogoro - Toboro in octingenta chilometra producenda.




His ausibus dum humanitati commerciisque provehendis consultur, propagandis quoque ac communicandis citius morbis aeruminisque facilius patebit aditus. Quod quidem pertimescendum novissime facit periculum Elisabeth ex portu innotescens, cuius incolae ob mures plurimos pestis lue extintos, in horridum inciderunt pavorem, ne brevi atrox contagium suas civitates depopularetur: receptum est enim murium huiusmodi clades quasi praeagia luis proxima passim praeferre. Iisdem diebus e Saratow, Russiae loco ad Volga flumen, nunciatum putealia quaedam plaustra decem et quatuor, e vehum serie fortuito divulsa, in currus viatorum malo occursu incidisse, ita ut quinque horum vita functi, vulnerati unus et viginti lugeantur.




Apud Americanos servet opus ad omnium artium recensionem parandam, quam Buffalo in urbe proxime inaugurarunt.

Quo tamquam ad indicatas nundinas convenient omnes Americanorum industres viri, aut artifices, aut agricultae peritissimi, ut, quae sua quisque portenta assequuti variis artibus fuerint, civium advenarumque admirationi in propatulo ponant. Audio vero Mexicanos strepentes obstantesque nullo sibi pacto tolerandam illorum civium audaciam, qui Indos barbaros nordicis e regionibus deductos (*Mojigangas y Apaches* vocant) veluti Mexicanae reipublicae natos exhibere satagunt.



Tolerabile tamen damnum et facili remedio sarcendum. Non idem contra dicendum de Germanicae navis infortunio, quam *Kaiser Wilhelm der Grosse* appellant. Navis in ferro ad rem cubiculo plurimas servabat capsas, quibus magna signati vel rudit auri argenteum pondera ex America in Europam, vicissimque deferebantur. Mox, cum redux Occidentis ex oris, Cherbourgensem portum appropinquaret, alia ex iis vi reserata ac violata inventa est, ablataeque aureae virgae tres, quarum pretium quingentiarum milium libellarum exsuperabat. Portum appulsus nauta, antequam viatores in terram descenderent lustrando eos singulatum manu militari curavit; navis deinde pari diligentia funditus examinata; sed furtivae rei nullum reportum vestigium. Bremansem igitur portum versus continuatum iter, at vigiles multi navi consensa invigilant, ne quis forte e viatoribus nautis criminis reum nolens sese pandat. At fures iam Southampton ad litus descendisse creduntur, ut commonefacti iam correi praereptas virgas colligerent atque auferrent.



Extremum Sinenses nuncii tradunt. Imperialis mulieris aedes, quas Waldersee ejusque

tribunicius comitatus incolebant, ignis, quem dolo excitatum putant, inopinato voravit. Ceteris auxiliantibus militibus, Gallisque praecipue, Marchand eorum tribuno praeceunte, potuerunt tamen, absque virorum clade, flammae restinguiri: merces vero et suppellestilia, eripere e flammis potuit nemo. Quare male lugendus Schvarkopf imperatoris interitus, quem trabe delapsa oppressum aiunt, cum ad carissimum sibi canem sospitandum inter flamas rediisset. Tanto pretio fidem belluae homo fidei rependit!

VIATOR.

## VARIA

Paschalis Curru  
et Columba Paschatis, Florentiae.


Quoniam paschalibus adhuc diebus intersumus, morem Florentiae plurimi habitum commemorare non erit abs re, praesertim quum, in humanissima urbe, magna servetur populi tam urbani quam suburbani frequentia, tum quia aliquid praef'erat in ipso ritu delicatum et elegans, denique quia insigni conficiatur apparatu nobilissimae gentis et Florentino Municipio augente solemnitatem. Res ita se habet. Gens, cui De Pazzi cognomen, currum avitum quendam mole conspicuum, ligneis parietibus circumseptum a centro rotarum ad fastigium turris, cui sunt quasi circa, gradus, sola non modo possidet, sed foedere percuso iam aliquot ab saeculis cum patro Senatu et Consilibus urbis, ad hoc officium quotannis adhibet. Ingentis molis exteriores parietes describuntur picturis manu veterum, quotquot fuerunt, artificum celeberrimorum ductis, aureis maeandris intersectis, aere caelato per quaeque disposito. Omnia vehunt octo immanes corpore candidi boves purpureo fraeno ducti, vittisque e flore et frondibus per capita, per terga, per armos, per latera dimissis ultra fidem spectabiles. Talis pulchra stat delata moles patentem ante portam principem maximam templi «Sanctae Mariae a Flore» Sabbato Sancto, eo tamen ritu, ut coram stet cum immineat intus ad altare cantandus hymnus «Gloria in excelsis Deo», quae in verba toto impetu campana aera et torri Giottiana sono aerem percussa compleat. Tunc e curru et circum pyrograna chartis inclusa repente succensa fragorem cinct, et columba argentea per fenestram de pariete currus, qua portam respicit, ferrea per fila iam ante disposita erumpens artificio mirabili et faciem dicens, quasi nocturna stella, templum ingreditur trans aerem, altare petit, ibique puncto temporis et cereos incendit, et candidum velum, quo crux tegitur, abripiens, in ostiolum sui carri redditura et semet conditura festinat, populo, circum plaudente, ad clamante, magnamque frugum omnium copiam ei polliente, si abiens et rediens nihil immorata speciosa avis sua munera obierit. Currus posthaec in aliam urbis plateam iterat prope spectaculum, inde in aedes De Pazzi regreditur virorum puerorumque comitatu solemniter, ibique sequentem in annum religione et ambitione magna asserturatur.



Cornix et bellum.

Constituta quaedam est apud Germanos societas, quae intercursantium pipionum nunciorumque in locum cornices feliciose famulatu subdere non dubitat; idque praesertim post experimentum infelix, quo, venatoribus, procellis, vulturibus una contra coniuratis, vix unus et

alter de sexcentis missis e Germania in Angliam pipiones pervenerunt. Hinc ad cornices inclinatio, quae columba robustiores praedatorem volucrem non pertimescunt, venatorum desideria non excitant, callidiores vitant, vehementiori ala per procellas feruntur Germanus Caesar, cum exercitum in acie dispositum inviseret, cornice litterulas portante, salutatus est ab absente longius duce. Quinimo cornix, postquam sarcina liberata est, potiusquam domum petere, maluit cum militibus ex acie, ad latum, erecta superbe capite et pectore, incedere quasi miles et ipsa; ducibus non mediocriter laetantibus de novo capite hoc militiae adscripto. Cornicum species aptissima, non que prorsus nigricans, sed quae plumbeas potius penas gerit.



Infernane dicenda urbs erit?...

Quamnam rogas Wieliczka in Galitia, provincia Poloniae? Altissimae ibi salis fodinae sub solo per cuniculos et anfractus, catacumbis non absimiles, longo itinere spatiantur; duo super octoginta chilometra censemur iter. In salinis rupibus fossores excavare cryptas, ad similitudinem domorum aptare postea, denique lectulis, armariis, mensis, domestica suppellestili omni ornare ceperunt. Iamdu haec, unaque cum uxoris, inde cum filiis filiabusque, mox cum nepotibus, nunc et cum abnegotibus ibi vivunt, neque superne soli desiderio tanguntur. Felices ibi, quiete vivunt, templumque habent simulacris, parietibus, columnis sale micantibus insigne. Incredibile opus, cui nullum par..., si vera sunt exposita.



Loci.

Chirurgusa micum venerat visitatum ex nosocomio dimissum. — Qua pecunia illic — inquit — brachium hoc a te secuerunt? — Biscensis libellis — respondit Antonius. Tum chirurgus: — Ecce vos qui estis, qui amicis non habetis fidem, et fiduciam. Ego ducentis libellis utrumque brachium amputassem!



Domestici laudes.

Davus a Simone in familiarem servum accessitus, de indole, de habitu rogabatur: — Atqui — Simon aiebat — ego te mecum habebo si apud eminentes domos operam antea praestiteris, si dominicarum rerum incuriosus fueris, si circa nomen et facta dominorum tacueris. — Bene! — Davus inquit — domus, in qua famulatum exercui, sex tabulatis a solo eminebat; adeo incuriosus alienae rei eram, ut semper dormirem; nomen autem et facta domini, cui serviebam, prorsus ignoro.



Salsamentarius ingenuus.

Alopus, qui optimam pernam a salario emerat, reddit quae situm, uti se exploreret, flagitans ut quatuor pernas vendat. Salarius in statera appendit, de pretio iuxta pondus convenit, traditque comitanti Alopum servulo, qui domum ferat. Dum Alopus pecuniam numerat: — Amabo te — inquit — si pernae illae germanae fuerint illius, quam emi praeterita hebdomada! — I tutus — respondit salarius — nam ex eodem maiali sunt omnes! — Laetus emptor abivit credens quinque posteriores coxas singulis esse maialibus!

P. d. V.

\* FIDES \*

quod musicum organum

# STRADIVARIUS

CREMONENSIMUM ARTIFEX CELEBERRIMUS

CONFECIT

Romae veneunt.

*Negotium agitur apud Commentarii VOX URBIS administratorem, ROMAE, via Alessandrina, 87.*

DUBIA ET RESPONSA SUPER EXTENSIONE  
IUBILAEI ANNI MCM ad universam Ecclesiam  
proposita in commodum confessariorum a THOMA ARIZ-  
ZOLI Missionario Apostolico Imperiali, Sacrae Poenitentia-  
riiae officiali.

Dubia huiusmodi explicant facultates quas Summus Pontifex  
concedit in ordine ad Iubilaeum exercendas et complectuntur praecipuos casus qui in Iubilao proponuntur. Responsa sacrae Poenitentia-  
riiae, *etiam recens data, quae opus fuit memorare*, memorantur.  
Accedunt Constitutio pontificia super extensione Iubilaei et, maxima  
ex parte, *Monita ex Constitutionibus Benedicti XIV de usu facul-  
tatum confessariis tributarum* excerpta.

Opusculum venit lib. 0.50 apud comm. Vox Urbis administra-  
torem, Romae, via Alessandrina, 87.

**Ciapponi Franciscus et Sor.**  
OFFICINA  
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS  
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS  
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS  
TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE  
ROMAE - Via Sistina, 129 - ROMAE

**VOX URBIS** DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.  
**SOCIIS MONITUM**

In memoriam sociorum revocamus, cuique eorum, qui chartulam ad hoc acceptam remiserit suo ac duorum e sociis novis subscriptam nominibus, pro duabus tantummodo commentarii exemplaribus solvendum pretium; tertium dono datum iri.

Premium annuae subnotationis comm. "Vox Urbis" vid. in prima operuli pagina.

**L**IBER (vulgo "ALBUM")  
praecipua. Urbis referens, pulcritudine insignis atque, commentarii  
Vox Urbis moderatore iubente, expresse conflatius, apud eumdem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87,  
ven. lib. 1.50.

**FIGURAE URBIS ROMAE**  
ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE  
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

*Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

**URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS**

(m. 1.10 × 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,  
venit singillatim L. 2.50

*apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

SI QUI PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

**LE LAUDI LATINE**  
**IL CANTICO DEL SOLE**  
DI  
SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro  
rei longe peritissimo, conscriptam, continentur laudes latine cum interpre-  
tatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita,  
que *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem  
proxime alii subsequentur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* compa-  
randam, **Iulius Salvadori**, litteris tradendis doctor egregius, maxima  
editit cura. Romae apud commentarii Vox Urbis Administrationem venit  
L. 0.50, in pauperum levamen.